Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Eilhard Lubin

Eilhardi Lubini In D. Iunii Iuvenalis Satyrarum libros ecphrasis succinta et perspicua

Rostochii: Myliander, 1602

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

20. b. 8.

Cd_6013.1-2

C. II. t. 3366.

XX. X. 31.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0002
DFG

Eilhardi Lubini

in

D. Junii Juvenalis

Librum Satyrarum

Primum

Ecphrasis

concinna et perspicua.

Rostochii.

Typis Stephani Myliandri

Anno 1602.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0003
DFG

VIRTVTE DOCTRINA, GENERE
verè NOBILI, Dn.

IVONI REVENTLOVIO Equiti Holsato,

Juveni Politissimo

S. P. D.

Bibliotheca Academiae Rostochiensis

INter omnes utriusq; linguæ auctores, juvenum nobilissime, & ornatissime, illi potiores semper mihi visi, qui in hâc scelerum inundatione, & linguæ morumq; Barbarie, lectores suos non doctiores solum, verum & meliores dimittunt. Quo in genere inter Poëtas

& Satyricos citra controversiam primus & princeps est, nunquam satis laudatus Poëta Juvenalis. De quo quid alij sentiant, non inquiro, ego sanè ejus exactissimo Poëmate ita hactenus delector, ut non solum illud ad unguem edidicerim, in hâc Academiâ bis publicè prælegerim, iterato commentario aliquoties explicarim, & scholiasticâ Paraphrasi jam ante octennium Coloniæ à me adfectâ, illustrarim; Verum etjam jam supplementi quasi loco breviorem Ecphrasin post omnia ipsi subjungam. Quamvis autem in prolixiori meâ scholiasticâ Paraphrasi brevi etiam, volente Deo, publicandâ, hunc Poëtam satis illustrâsse mihi videar; hanc tamen etjam subiungere placuit, eo quod videam illam prolixam interpretandi rationem, quâ in

scho-

scholiasticâ meâ Paraphrasi insertis auctoris verbis, utj consuevi, non æquè omnibus adprobari. Potissima autem hanc Ecphraseos editionem maturandi & præmittendi caussa & ratio mihi oborta, ex lectione Paraphraseos Federici Cerutj Veronensis. Quem equidem optarim gravissimum hunc Poëtam diligentius prius excussisse, & plenius cognovisse, quàm manum ipsi admoliretur. Vix enim ulla Satyra, in quâ ille, dum Barbaris quibusdam commentarijs nimis confidit, non locis pluribus toto cœlo ab auctoris mente aberrârit. Quæ tamen eo nomine non à me dicuntur, quasi famæ & existimationi viri doctissimi & optimi aliquid detractum cupiam. Res enim sceleratissima, mihiq; semper damnata, quamvis plurimorum moribus & exemplis in-

troducta, ex virorum bonorum & doctorum vituperio laudem sibi aucuparі. Ego verò ecquid hâc meâ enarratiunculâ operæ pretium fecerim, alij iudicabunt. Nihil in toto opere mihi fuit antiquius, quàm omni verborum ambitu & pompâ relegatâ, auctoris mentem verbis simplicissimis exprimere: Inq; hoc nomen meum profiteor, ut accuratissimus hic & iucundissimus Satyricorum, qui suâ obscuritate plerosq; à sui lectione deterret, etiam à rudibus intelligatur. Vnum adversus præposterè quosdam sanctos excipio & deprecor, plerisq; in locis huius pulcherrimi & accuratissimi Poëmatis obscœnitatem, non tam Poëtæ, quàm sceleratissimo illj sæculo imputandam. Hanc autem unam obscœnitatem excipias, nihil quidquam doctius, Latiniùs, plenio, perfectius, elaboratius

horatius ab ullo Latinorum in hoc genere unquam scriptum. A quâ tamen lector ille facile tutus erit, qui eo animo ad hujus lectionem accedit, ut non aliena vitia discat, sed sua emendet. Tibi vero juvenum nobilissime, hunc librum inscribere visum est, ut tibi, sponte & ultro ad optima virtutis & sapientiæ contendenti, calcar adderem, & ansam preberem hunc etiam morũ & vitæ humanæ magistrum cognoscendi, quo haud scio an inter omnes ullus vel doctior, vel melior inventus sit unquam. Certè ardore, altitudine, libertate, addo etiam numerorum solertiâ & versuum elaboratâ junctura & compositione longè supra Horatium adsurgit. Ut jam nihil addam de sententiis creberrimis & singulis fermè versibus occurrentibus, aureis, divinis, & ad mi-

raculum usq; ingenioſis. Accipe ergo munuſculum hoc in ſe quidem levidenſe & exiguum, & unde tamen, ſi rectè excutias, illa haurire poteris, quibus & linguam & pectus expolias. Salve & vale generoſe juvenis, & hæc tuêre. Roſtochij, Menſe Quinctili, Anni 1602.

T. N.

Studioſiſſimus.

Eilhardus Lubinus.

Eilhardi Lubini

IN D. IVNII JUVENALIS Satyram I. ECPHRASIS.

ITáne verò ego semper aliorum Poëtarum tantum auditor ero? Nunquámne ego Iuvenalis quoq; aliquid scribam, alijsq; Poëtis vicißim recitabo, & paremgratiam referam? qui quidem toties vexatus sum, longum illud Poëma de Theseo audiens, quod auctor Poëta Codrus longâ recitatione raucus, toties nobis recitavit. Ergóne alius suas togatas fabulas Comœdias Romanas, alius verò suas Elegias impune recitaverit mihi? Siccine deniq; ingens illud Poëma, de Telepho Herculis filio, & aliud prolixum opus de Oreste Agamemnonis filio, (quod quidem

dem adeo longum fuit, ut, cum magno libro capi non potuerit, etjam marginem impleverit, quin etjam in posteriore membranæ parte scriptum, nec dum tamen finitum sit) dum reciaretur totum diem audienti mihi consumserit & abstulerit, idq; impune, ut meorum carminum recitatione illos non rursus puniam? Certè nulli domus sua magis nota esse potest, quàm mihi ex frequenti & assiduâ meâ recitatione notæ sunt Poëtarum fabulæ, toties ab alijs Poëtis mihi recitatæ, ut sunt lucus Martis, toties decantatus, ut est mons Siciliæ Ætna, qui Liparitanis insulis in Tyrrheno mari, Æolo ventorum Deo sacris, vicinus est, quem quod interdiu fumum, noctu flammas eructet, Vulcani Deorum fabri antrum vel officinam esse fingunt. Porro alia fabulosa Poemata, de ventis, quid illi in antro Æoli rerum agant, de judicibus inferni, quas mortuorum animas Æacus judicet, & ad supplicij locum, & torturam ableget, de expeditione Argonautica, & Colchide unde Iason Æsonis filius imperante Peliâ, aureum Vellus dolo Medeæ furtim abstulit, & in Thessaliam secum advexit, de pugnâ Centaurorum in nuptijs Peirithoi, cum Lapithis, quantas ornos Centauros Monychus è terra radicitus evulsas in adversarios torserit: Hæc, inquam, & consimilia alia in Iulij Frontonis hortis sub platanis & arboribus in marmoreis ædibus auditorum multitudine convulsis, ædiumq; earum columnis & suggestis assiduo recitatore fractis & concussis, cum magno clamore quotidie recitantur. Nec docti solum, verum indocti etjam

etjam scribunt & recitant, & hæc eadem quæ dixi ab optimo pariter, & vilissimo Poëtâ scribi & recitari exspectes. Quod cum ita sit, ego me etjam tandem aliquando ad carmina scribenda, & alijs recitanda contuli, jam Grammaticorum ferulæ, & instituendis junioribus manum subtraxi & valedixi, & Rhetorum declamationes, & ficta themata, quibus L. Sullæ in causæ genere suasorio consilium dedi, ut Dictaturâ & tyrannide depositâ, vitam privatam tranquillam & securam ageret, inq; utramq; aurem tutò dormiret, jam valere jussi. Grammaticæ & Oratoriæ studia non repetiturus, soli jam Poëticæ studio addictus sum. Et quidni etjam aliquod Poëma scribam? Stulta profectò mea est clementia, qui cum quotidie, & ubiq; tot vatibus occurram, qui me toties importunis suis recitationibus pænè enecarunt, illos non rursus punire, & chartæ quæ alias nihilominus peritura est, parcere, nihilq; ei inscribere & recitare.

Cur autem mihi Satyram scribere libeat, & in Satyrico illo campo discurrere, per quem magnus ille Auruncæ alumnus Lucilius probè equos suos in gyrum egit & flexit, & laxis frenis in mores hominum acerrimè invectus est; si ocium est, & benevoli rationem hujus mei consilij, admittitis aperiam. Certe non facile quisquam à scribenda satyra sibi temperaverit, qui vitam & mores nostræ ætatis turpissimos intuetur. Cum tanta mulierum libido

& ma-

& malitia sit, ut cum voluptate Veneris carere, & tamen partus labores subire nolint, eviratis Eunuchis & spadonibus nubunt, ut libidinem suam expleant, non tamen impregnentur. Cum tanta mulierum impudentia & ferocia sit, ut Mævia, aliæq; Viragines in theatro cum bestijs decertent, & ferocissimos ex Thuscia apros transfigant, & nudis mammis exsertis venabula teneant. Cum scelere & pessimis artibus opes & honores comparentur, & Cinnamus, qui me puero vilis tonsor erat, mihiq; juveni barbam sæpe detondit, jam per scelera adeo dives evaserit, ut ille unus olim tonsor, omnes jam patritios opibus provocare possit. Cum deniq; bipedum ille nequissimus Crispinus servus longè vilissimus, ex plebe Ægyptia, & verna incerto patre natus ex Canopo per adulationes & delationes, non solum manumissus, ad amplissimas divitias, & censum equestrem pervenerit, sed etjam per extremas delitias purpuream lacernam in dorso ferre non sustineat, illamq; deorsum dependentem ad humerum sæpe revocet: quin etjam annulum, æstivum aurum per ostentationem in digitis, per summam mollitiem sudantibus refrigerium captans, agitet & vibret, & æstatis tempore annulum hibernum majoris ponderis gestare non possit. Impossibile profectò est hæc talia intueri, & Satyram non scribere. Quis autem adeo perditæ urbis patiens est, quis autem tam ferreus & stupidus, sine ullis adfectibus, ut à scribenda satyrâ se abstineant,

cum

cum videam Mathonem Caussidicum valedictis forensibus causis, ad delationes se contulisse, & jam nova lectica, quam crasso sui ventris aqualiculo solus implet, à servis lecticarijs deportari. Post hunc Mathonem alius quispiam, Heliodorus Philosophus Stoicus in lectică vehitur, qui magnum amicum, atq; adeo discipulum suum Licinium Syllanum apud imperatorem detulit, suoq; testimonio occidit, qui delationibus omnem fermè nobilitatem perdidit, & quidquid adhuc de illa iam consumptâ & perditâ superest, illud paullo post etiam rapiet, & perdet. Quiq; tam magnus delator est, ut Massa, aliiq; delatores ipsum, ne & ipsi deferantur, timeant: quem Carus, & ipse delator muneribus missis placat, sibiq; conciliare studet, ne ab ipso prodatur: deniq; quem Thymele Mima oblectatione Histrionicâ, vel etiam turpi corporis usurâ palpat & mitigat, ut quam ipsi Latinus maritus Mimus anxius & trepidus, ne ab ipso deferatur, submisit & prostituit. Quid alia turpiora memorem, quando nimirum illi, qui nocturno concubitu, quo pruritentibus vetulis operam dant, hæreditates in testamentis promerentur, teq; verum & genuinum heredem ex testamenti tabulis submovent, & expungunt. Nimirum quos obscænum libidinis membrum, divitis & opulentæ vetulæ, (quod iam optima & compendiosissima via est, ad summum opum augmentum) quasi in cælum ad supremos honores & divitias evehit. Ita tamen, ut quo quis strenuior illis operam dabit, plus etiam hereditatis consequatur. Hinc unusquisq; he-

tes, suas hæreditatis partes, ad mensuram virilis membri obtinet: & Proculejus quidem quia parvo admodum membro à naturâ donatus est, ex testamento unciolam tantum hæreditatis unam duodecimam partem, eamq; diminutam habet: Gillo verò majori membro à naturâ armatus deuncem, totam heredi- unâ tantum unciola demtâ, aufert. At vero habeat sanè illas ex testamento hereditatis partes, mercedem sudoris & sanguinis turpiter & ærumnosè partam; nihil invideamus: & ex assiduâ cum vetulis decrepitis concubitus consuetudine ita exsanguis reddatur & palleat, ut qui nudis pedibus anguem prefsit, aut ut pallet orator ille, qui ad aram Lugduni in Gallijs dicturus est, anxius ne, si vincatur, propositâ pœnâ adficiatur. Quid memorem, quantæ iræ & indignationis fervore cor meum quasi exaruerit, cum videam, quod Irus ille, qui per summam malitiam tutor, pupillum suum spoliavit, & ad tantam inopiam redegit, ut prostare & turpi corporis quæstu se prostituere cogatur, adeò potens jam sit, ut servorum & clientum multitudine, iam populo per plateam incedenti molestus sit. Deinde quod Marius Priscus, qui Africam spoliavit, à provincialibus accusatus & repetundarum reus damnatus est, sed judicio prorsus inani. Nam ille quidem in exsilio est, sed cum magnam pecuniæ summam retinuerit, ab octavâ horâ incipit bibere, & Genio probe indulget, & Dijs, quibus iratis condemnatus, & exsul est, probe gaudet & perfruitur, & quia numos sal-

vos

vos habet, infamiam nihil curat. At tu provincia Africa, quæ vicisti & oppressisti in judicio adversarium, tu interim ploras, cum pecunia tibi restituenda partim ærario Romano illata sit, reliqua Mario relicta sit. An non hæc & consimilia alia digna esse credam, accuratâ aliquâ Satyrâ ad lucernam noctis tempore diligenter elaboratâ, qualem Venusinus ille Horatius scripsit? Et nonne merito hæc insectter & exagitem. Et quid potius Poëtarum figmenta mihi proponam, ut de Hercule eiusq; laboribus; de Diomede eiusq; erroribus; de Minoide, Pasiphaë, Minotauro, qui in Labyrintho mugijt, de Icaro filio qui in mare prolapsus est, & Dædalo Labyrinthi fabro patre, qui cereis alis incolumis è Labyrintho in Siciliam evolavit, & alia fabulosa quorum Reipublicæ parum interest, quàm illa quæ impunita toti Romano imperio perniciem & detrimentum allatura sunt. Cum videamus maritos lenones conjuges suas mœchis ultro prostituere, ut ipsorum bona hoc infami merito consequi possint, ut quæ bona nullo jure adfinitatis vel consanguinitatis uxor capere potest, illa adulterio coniugis prostitutæ acquirat. Qui nimirum dum adulter cum uxore rem habet, quasi illud non animadvertat vel laquearia & trabes ædium spectat, vel prope poculum in mensa caput reclinans se dormire simulat, & ut somno fidem faciat ronchos ducenti & vigilanti naso fertit. Videmus etiam Damasippum illum, qui turpissimè bona sua equis ad præsepia alendis consumsit

sumsit, & ob id iam omni censu à majoribus sibi relicto, caret, utpote quem puer adhuc & junior prodegit, dum auriga per Flaminiam viam velocitèr commotis rotis vehitur (ipse enim lora tenens currum regebat, dum se lacernatæ suæ amicæ aurigando ostentaret) iam per summam impudentiam ad præfecturam cohortis Prætorianæ, postquam bona absumsit, suaq; omnia absumsit, adspirare. Quid? nonne æquissimum esset, quempiam in quadrivio, & medio foro, ubi plurimi conveniunt publicè ingentes ceratas tabulas Satyra quapiam implere, cum videamus quod falsarius ille, signator Regulus, qui exiguis tabellis & testamentis falsis gemmâ & sigillo ob impressionem madido obsignandis se adeo lautum & divitem reddidit, ut in lecticâ ab omni parte patente, & pœnè nudâ sine vllo velamine, ut ab omnibus conspici possit, à sex servis lecticarijs, superbus & luxuriosus & probè repræsentans mollem illum & delicatum Mœcenatem, ab Horatio amico notatum, gestetur. Quid de veneficijs dicam? Certè nobilissimæ matronæ non desunt, quæ viris suis sitientibus, cum vino molli calæno venenum è rubeta vel bufone commiscent, eosq; crudelissimè è medio tollunt. Iamq; adeo longè peritior venefica, quam Locusta à Nerone è Gallijs olim vocata famosissima, propinquas suas veneficij rudes & ignaras docet maritos toxico interimere, eorumq; cadavera lurida & Veneno livida ad sepulturam & rogum exportare.

Atq; eò

Atq; eò adeo jam res Romæ rediit, ut nemo citius ad opes & honores pervenire possit, quàm per scelera. Adeoq; si vis Romæ in aliquo loco & pretio, atq; adeo aliquid esse, aude tantum aliquid, grande aliquod & atrox facinus, ob quod vel ad Syrtes, Brevia, & Gyaros relegaris, vel perpetuo carcere includaris, & facile quo voles pervenies. Frustra enim per virtutem & probitatem eò contendis; quæ laudatur quidem, sed sine honore & sine præmio alget, pauper & famelica est. Quidquid autem Romæ divites illi & potentes habent, hortos pretiosos, palatia eximia prætoribus digna, pretiosas mensas, argentea vasa veteris artificij, & caprum in operculo poculi cælatum & extantem, & reliqua omnia habent ex criminibus suis; illisq; debent. Quem autem Satyricum Syllanus ille Senator, qui Iuniam Calvinam nurum suam, quæ per avaritiã sumtã pecuniã, se violari passa est, corrupit; quem satyricum infames illi pueri, qui alijs per summum dedecus tanquam sponsæ nubunt; quem deniq; Satyricum, puer qui prætextâ adhuc utitur, & nondum egressus annum decimum quintum adulterum agit, otium agere & à scribendâ satyrâ cessare permittunt? Certè tanta passim Romæ sunt scelera, ut si vel maximè natura alicui versum satyricum negaret, indignatio saltem ob tam enormia delicta alicui versum faceret, si non insignem saltem qualemcunq;, & quales ego, Cluvienus, & alij viliores Poëtæ scribunt. Facillimum profecto est satyram quampiam scribere, cum materia nunquam desit, ut quam ab exordio mundi satyricus potest repetere.

Nam omnia vitia à diluvio Deucalionis usq; ad nostra tempora, exquo Deucalion in Thessaliâ diluvio & repentinis imbribus & pluvijs, quæ mare in sublimè attollebant oborto Parnaßum montem parvâ rate ascendit & oraculum Themidis de reparando genere humano popoſcit, & ex oraculo projectis post tergum à Deucalione & Pyrrhâ conjuge lapidibus nudi masculi, nudæq; fœmellæ enatæ sunt: omnia, inquam, quæ interea homines agunt, ut sunt adfectus & perturbationes, cupiditates, voluptates, libidines, ira, dolor, gaudia, varij hominum vitæ discursus, casus, quæ mente cogitamus animoq; evolvimus: illa, inquam, omnia sunt materia Satyræ. Nihil autem opus est me ab exordio mundi hominum peccata repetere. Quando enim unquam uberior vitiorum copia fuit, atq; nostro tempore? quo unquam alio sæculo, avaritia capacior atq; inexplebilior fuit, quàm hâc ætate? quo deniq; unquam alio sæculo, infamis illa alea hominum animos major occupavit? Neq; enim jam quando ad tabulam accedunt aleâ lusuri loculum amplius secum sumunt, sed totâ arcâ plenâ nummis ludunt. Quantas autem ibi rixas & concertationes videas Domini cum Oeconomo suo, qui arma ludi, tabulam & teßaras suppeditat, cui Dominus postquam pecuniam perdidit, tunicam eripit, eamq; exponit ulteriùs lusurus, & qui herum suum stomachabundus compellat & inquit? multiplex profecto furor tuus, ô here, qui centum sestertia uno lusu perdas & servo tuo frigore trementi creptam tunicam nólis restituere.

Quid

Quid de luxuria & profusione alijsq; vitijs dicam? nemo sanè avorum nostrorum totidem villas erexit, quot nunc ab uno ædificari videmus, nemo etiam avorum nostrorum sibi uni & soli septem fercula in cœnâ apposuit, & secreto solus cœnavit, idq; exclusis omnibus clientibus. Quibus nimirum nostri divites, nihil jam amplius conferunt, quam famelicam illam sportulam, centum quadrantum, quam manè in ædium vestibulo destribuendam ponunt. Interea tamen hanc sportulam, tanquam rem quantivis pretij solicitè distribuunt, & cujusq; clientis sportulam petentis faciem accuratè inspiciunt, & verentur ne forte venias suppositus, teq; pro alio ingeras, falsum nomen tibi usurpes, sportulam tibi non debitam poscas, & quam demum ubi rectè agnitus fueris accipies. Ibi distributor per præconem vocari jubet ad accipiendam sportulam Romanos etiam nobilissimos, qui & ipsi potentiorum limina propter sportulam cum nobis tenuioribus frequentant, ibiq; proclamatur; da sportulam Prætori, da Tribuno. Nec desunt inter hos divites, qui dum tanquam mendici hanc sportulam captant, de primatu inter se concertant, inter quos Libertinus ille Crispinus se propter opes Tribunis & Prætoribus præponit & inquit: ego prior sum. Cur ego meum locum non defenderem? Quamvis enim olim servus fuerim, utpote ad Euphratem natus, quod mollia in auribus meis foramina, quibus pro more patriæ inaures gestamus, convicerint, si ego negare velim: tamen jure me illis præfero. Nam quinq; tabernæ in foro Romano comparant mihi cen-

sum equestrem quadraginta sestertia. Quod autem cumulatius bonum ulla equestris dignitas alicui conferre potest? siquidem Corvinus ille quamvis nobilissimus, per inopiam in agro prope Laurentum alienas conductas oves custodire cogitur. Cui tanta nobilitas parum prodest. Exspectent ergo Prætores & tribuni, ut ego prius accipiam, & divitiæ meæ nobilitatem vincant: & ille qui paullo ante servus cretatis pedibus in hanc urbem venit, sacro Prætoriæ & tribunitiæ potestatis honori nihil concedat. Et rectè illud quidem. merito enim divites alijs hominibus præferimus, quandoquidem divitiarum majestas apud nos Romanos longè sanctissima est. Quamvis enim illa omnium malorum radix pecunia nondum in templo habitat (Nullas enim aras ei exeximus, ut colimus pacem, fidem, victoriam, virtutem, concordiam, in cujus antiquo fano cicoria nidum habens, è pascuis rediens incurvato collo, rostro sonitum edit, suumq; nidum quasi salutat) nihilominus tamen pecuniam religiosè colimus. Verum ut ad sportulam redeam, cum nobilissimi Romani in summis honoribus, finito anno computent, quid sportula quotannis suis rationibus conferat, illamq; inter annuos proventus numerent; quid miseri clientes facient? qui quicquid habent hinc habent, vestes, calceos, victum, panem, ignem, ligna, ad culinam necessaria. Iam verò nobiles illi qui in lecticâ vehuntur densi, frequentes, constipati sportulam centum quadrantum petunt, quin etiam languidas & prægnantes uxores, secum advehunt & circumducunt. Inter quos non deest, qui arte jam notâ

& usita-

& usitatâ uxori suæ absenti callidè sportulam petit, distributori vacuam & clausam sellam quam secum advexit, in illa conjugem esse simulans, pro conjuge ostentans, & inquit: conjunx mea Galla hic est, & illi sportulam distribue. Quod si distributor dolum sentiens dicat: ô Galla remoto velo profer caput, ut te videam; respondet nobilis maritus: noli conjugem meam vexare, quæ jam dormit & quieuit. Et profectò operæ pretium est, considerare quàm pulcro rerum gerendarum ordine cives Romani totius diei horas, patronos salutantes disponant. Primo petunt sportulam, deinde in forum eos deducunt, postea ad templum Apollinis Palatini, ubi Iurisperiti causas agunt, deniq; ad triumphales statuas, inter quas etjam Ægyptius quispiam, & servorum ex Arabiâ Princeps, nescio quis Crispinus suam statuam cum inscriptione habere ausus est, quam æquum est non tantum permingere, sed etjam permerdare. Indè dum clientes patronos suos domum deduxerunt, & diu ante fores exspectarunt, sperantes fore ut cœnæ adhibeantur, tandem longâ spe & exspectatione lassi, è vestibulis patronorum suorum domum abeunt, & desiderium cœnæ, quàm per totum diem sperârunt, tandem deponunt, quæ unica hominum miserorum spes erat. Restat ut pro misellis centum illis quadrantibus famelicam cœnam, vilia oluscula & ignem sibi comparent. Interea horum rex & patronus privatim domi suæ solus aves, feras, pisces, quidquid in sylvis, montibus & pelago optimum est, per immensam luxuriam vorabit, & ipse unus & solus in vacuis toris ad

mensam recumbet. Nam inter tam multos, tot capaces, tot antiquissimi artificij mensarum orbes, quibus clientes adhiberi poterant, divites nostri Romani in unâ mensâ, ad quam illi soli accumbunt, sine clientibus bona sua delapidare nôrunt. Nullus jam amplius adulator & parasitus erit, qui divitum mensis adhibeatur. Verum quis æquo animo possit ferre foraidam illam luxuriam, qua Romani nostri sibi luxuriosissimè, domi, clientibus sordidissimè foris vivunt. Quam autem inexplebilis illa gula est, quæ sibi soli totos apros in cœnam apponunt? quod tamen animal non ob unius hominis privatam gulam, sed propter convivia à naturâ productum est, in quibus plures unà vivunt & lætantur. Nec tamen impune hoc faciunt Romani nostri, qui dum se tot epulis ingurgitant, & lautiora convivia accessuri lavant prius, & depositis vestimentis pavonem & alios cibos nondum digestos, cruditate laborantes in balnea secum deportant: hinc subita mors oritur & senectus, quâ repentina morte occupati testamentum condere non possunt. Postero die de talium luxuriosorum & avarorum morte per universam urbem & omnes cœnas rumor spargitur, & ille jucundus quidem, utpote, quibus mortuis nemo magnopere luget; eorumq; funera ab iratis & infensis amicis cũ plausu & lætitiâ ad sepulturam efferuntur? adeoq; ut innumera alia urbis Romæ scelera silentio præteream, malitia in tantum excrevit, ut posteri nostri pejores nobis nullâ ratione evadere possint, nihilq; novi sceleris habituri sint (cum nullum à nobis intactum

ctum relictum sit) quod sceleratis nostris moribus ulterius possint addere, & nostrâ ætate, omne vitium ad summum cacumen, unde præcipitium patet, insurrexit. Quid igitur dubitas, ô Iuvenalis, quin tu navim ventis committe, velis remigibusq; utere, & veterum sinus quantum fieri potest latissimè expande, & audaciter Satyram scribe. Verum obijciet mihi aliquis: O Iuvenalis, unde tibi ingenium, quod materiæ carminis Satyrici par & æquale sit? Vnde autem priorum illorum, qui ante te, quidquid ipsorum animo irâ & indignatione flagranti, collibitum esset, scripserunt, & Lucilij imprimis libertas, cujus libertatis ne nomen quidem, nostro tempore usurpare, nedum ipsum in usum revocare ausim? Tempore Lucilij enim nihil referebat, an Lupus & Mutius Albutius, quod famosis versibus obruti essent, in se à Lucilio dictis ignoscerent, an non. Nostro vero tempore longa alia ratio est. Si enim Tigillinum, aut alios quamvis sceleratissimos, vel verbulo in Satyris tuis lædas, statim atroci supplicio afficiêris, & molestâ tunicâ indutus, pro tæda ac lucerna accensus lucebis & ardebis, ut illi qui fixo ad palum gutture noctis tempore pro lychno accensi ardent & fumum emittunt, aut qui unco ad Scalas Gemonias tracti, suo corpore latum vestigium per arenam deducunt. Ergone verò ô admonitor, Tigillinus, ille sceleratissimus, qui tres suos patruos, ut bonis illorum potiretur,

veneno occidit, à nullo propterea vel verbulo reprehendetur, & in lectica pulvinaribus & plumis sufflatus, in sublimi magnificè portabitur, & ibi in sublimi quanquam sceleratissimus vectus, nos tenuiores innocentes despiciat & contemnat? hoc vero inquisitum est. Imo, ô Iuvenalis, cum talis tibi occurrit, si me audis, labellum comprime, & in Harpocratis morem os digito compesce. Nam qui in tales vel verbum dixerit, statim accusator aderit, qui ipsum deferat. Hic illud sit, silentij notâ inculcandum est & tacendum: Verum satyram scribere & securus esse poteris, si in mortuos scribas, qui se ulcisci non poterunt. Securus enim esse potes si Æneam & ferocem Rutilum inter se committas, & quidvis de illis scribas, utpote mortuis. Et Achilles postquam à Paride occisus est, nulli amplius molestus est: ut nec Hylas ille Herculis Catamitus, qui aquatum missus, unà cum urnâ submersus est. Etenim cum Lucilius viventes carpit, & indignabundus mordaci suâ satyrâ, tanquam stricto ense infremuit: auditor cui mens ob perpetrata & jam manifestata crimina quasi frigore trepidat, & præcordia tacitâ conscientiæ culpâ sudant: ille erubescit & pudore suffunditur, unde nascitur dolor, ira & lacrumæ. Quare, ô Iuvenalis, hæc accuratè prius animo tecum voluta, antequam tubam insles, & satyram tuam rectitans homines malos & adversarios ad iram provoces. Qui jam galeam induit, jamq; manum cum hoste conserit, illum duelli serò pœnitet, quippe qui pedem jam retro ferre nequeat; ita etiam tu, ubi quid in alios scripse-

scripseris & recitaveris, vox missa reverti non potest. Cum ergo, ô monitor in viventes aliquid scribere periculosum sit, morem tibi geram, & experiar quid in mortuos mihi scribere concedatur, quorum cinerum reliquiæ Romanorum monumentis in viâ Flaminiâ & Latinâ tegantur.

Satyræ Secundæ
ECPHRASIS.

INTer omnes illos, qui Romæ passim impiè & flagitiosè vivunt, non postremi sunt, Hypocritæ illi, qui cũ improbi sint, boni tamen videri volunt, & externâ vitâ & sermone Curiorum virorum optimorum sanctitatem sobrietatem & continentiam simulant, & vivunt interea & exercent Bacchanalia, tanquam omnis turpitudinis & impietatis domicilia. Qui quoties de virtute, & honestis moribus aliquid coram alijs dicere & disserere conantur, tã graviter & indigno animo illud fero, ut ad Barbaros & Sarmatas ultra Septentrionale illud mare glaciale Româ aufugere, & ubivis potius locorum, quam apud tales esse cupiam. In hoc hominum genere omnium primo indocti se offerunt. Qui tamen ut docti videantur, Chrysippi aliorumq; doctissimorum Philosophorum imaginibus gypsatis Musea sua plena habent. Nam si quis inter hos simulatores statuam vel imaginem Aristotelis vel Pittaci sibi comparavit, & figuram imaginemq; Cleanthis principa-

lem, & ad vivi imaginem expressam librorum suorum armario tanquam custodem apposuit, & pluteum custodire jussit; Ille horum omnium perfectissimus habetur. Alij nescio quam gravitatem & vitæ sanctimonium reverenda barba & severo vultu promittunt. Verum tali gravi atq; severæ fronti nulla fides est adhibenda, utiq; cum Roma passim jam plena sit impuris illis simulatoribus, qui tristes, graves, & morosi in fronte apparent, in vita & factis sunt Cinædi turpes & obscæni. Pessimi profectò illi qui cum mali sint, bonos se esse simulant, qui, cum inter illos, qui more Socratis integerrimi haberi volunt, & interea turpissimi Cinædi sunt, muliebriaq; patiuntur, postica non nominanda corporis fossa obscærissima sint, eamq; obscænis suis corruptoribus turpissimè abutendam prostituant; in alijs tamen turpitudinem & vitia reprehendunt. Nimirum qui corpus hispidum, pilosum, & neglectum habent, ut gravem, virilem & à mollitie alienum animum de se possint alijs promittere. Interea masculâ contra naturam Venere in posteriori corporis parte tumidas mariscas, & inflata ulcera sibi contrahunt, quæ à medico hanc suam simulatam sanctimoniam irridente, & detestante sibi aperiuntur. Ut autem severi & prudentes videantur, raro & pauca loquuntur, magna ipsis voluptas in silentio; & quia comam alere parum virile habetur, capillos detonsos & supercilio brevio-

res

res habent, & cum sceleratissimi sint, hoc agunt, ut boni videantur. Longè ergo melius & rectius facit Peribomius ille infamis scurra, & publicus Cinædus, quem profectò ego fato necessariò peccare, ejusq; peccata non ipsi, sed fato imputanda esse, eumq; aliter agere, quam peccare, non posse deputo, utpote qui mala sua non abscondit, sed vultu, incessu, verbis, morbum, animi sui malitiam ingenuè fatetur. Et hujus Peribomij aliorumq; similium animi simplicitas, & candor, quo non alij esse; alij videri volunt, miserabilis est; & quibus ipse furor & mentis insania, quâ excæcati, inq; furorem penitus dati peccant, veniam dat, & excusationem promeretur. Verum enimvero illi simulatores longè pejores sunt, imo pessimi, qui tales Peribomium, & alios ex simplicitate peccantes, & sua scelera non occultantes, acerbis verbis invadant, & objurgant, & interea dum coram alijs de virtute & honestate multa verbis dixerint, vitam vivunt turpissimam pathicorum & cinædorum, & inter patiendum stuprum canum more clunem libidinosè agitant. Vide non rarò fit, ut dum hi tales hypocritæ alios tenuiores turpes & infames sui similes objurgant, ab ijsdem vicissim acriter remordeantur, & malè dicentes pœnâ talionis malè vicissim audiant alijs, ab alijs. Varillus enim infamis ille ex vili plebe cinædus, cum à Sexto quodam viro nobili, sed æquè infami reprehensus esset; Quid? inquit, ô Sexte, egone

egóne te Cinædum, clunes artificiosè moventem dum stuprum pateris, licet nobiliorem verear, tuaq; verba magnopere curem, cum æquè turpis sis atq; ego? Nam quâ unquam re ego te sum deterior, ut à te reprehendi merear? Heus tu; qui rectè incedit claudum & qui candidus est nigrum Æthiopem derideat, qui omni vitio caret homines malos reprehendat, Neq; aliquis sua scelera in alijs vituperet. Quis autem non indignetur si Gracchi illi seditiosissimi de seditione conquerantur? Quis præ indignatione non exclamet, ô cælum, ô terra, ô maria Neptunia! si fur quispiam famosissimo furi Verri, qui furtis suis totam Siciliam expilavit, displiceat. Si Annius Milo, qui Clodium occidit, homicidam vituperet; Si Clodius mœchorum ille famosissimus, qui Cæsaris uxorem in sacris Bonæ Deæ adulterio polluit, mœchos accuset, si seditiosissimus ille Catilina, Cethegum & reliquos qui secum contra Remp. conjurarunt, in judicium vocet: Si deniq; Augustus, Lepidus, & Antonius, qui tanquam discipuli Sullæ per cruentum fœdus juncti equestrem ordinem totum pænè proscripserunt, contra tabulam Sullæ magistri sui, quâ tot milia nobilium proscripsit, dicant, eamq; condemnent? Talis enim simulatio, & hypocrisis res est intolerabilis. Et qualis simulator nuper erat Imperator Domitianus adulter & incestus Tragico concubitu pollutus, qui illo ipso tempore, cum fratris Vespasiani filiam Iuliam adulterio & incestu contaminatam frequenter impregnaret, & toties eandem abortum facere cogeret, perq; abortivum

poculum

poculum matricem crebro concipientem rursus aperire, & conceptum partum, & offas sanguinolentas patruo Domitiano turpissimo, & deformi monstro similes, rursus effundere juberet, & neptem Iuliam crebris abortionibus occideret: Eo ipso inquam tempore, cum maxime incestum & adulterum ageret, leges illas de puniendis adulteris revocabat, illasq; adeò acerbas & amaras, ut non homines solum, verum Mars etiam & Venus, & alij Dij in adulterio olim deprehensi meritò illas formidaverint. Nonne igitur Varillus, Peribomius, & alij ultimè vitiosi & extremè scelerati homines meritò contemnunt fictos illos simulatores, & hypocritas qui Scauros, & alios homines continentes, nobiles, & optimos simulant, in vitâ longè turpissimâ? & si abs talibus reprehendantur & objurgentur, nonne jure illos remordent, & vicissim objurgant? Ex hisce sceleratis simulatoribus quendam nuper probè ulta fuit Lauronia procax quædam & petulans meretrix. Cum enim talis simulator tanquam vir sanctiss. severo vultu gravis tetricus & morosus vitijsq; infestus & infensus, in vitia urbis Romæ debaccharetur, & inter alia adulteras mulieres accusaret, & elata voce toties clamaret: O lex Iulia de puniendis adulteris, ubi nunc es? cur non punis mœchas istas? An tu dormis? Non æquo animo hypocritam illum ferre potuit; sed ad ipsum falsè & mordaciter subridens, Felicia, inquit, sunt nostra tempora, quæ te nacta sunt adeo gravem & severum morum Censorem & castigatorem, & flagitijs nostræ ætatis opponunt.

nunt. Nimirum jam Roma pudorem habeat & male agentes cives Romani te vereantur, cumq; rubore revereantur. Quippe tertius Cato severissimus morum censor cælitus nobis datus est, & ad mores castigandos missus. Sed tamen si adeo rigidus es & severus, unde emisti tibi opobalsama illa pretiosissima, non nisi à mollibus & delicatis usurpata quæ in hirsuto tuo & neglecto collo fragrant? Quid autem sibi unguenta volunt in collo adeo hirsuto, nisi quod hoc nescio quam frugalitatem & severitatem simulas, illis mollitiem, animi tui morbum prodis? Quæso ne pudeat te tabernæ illius unguentariæ dominum monstrare, ut & nos emamus? Quid rubore confusus, taces? Quod si leges & jura ne dormiant vexanda, & ad exsecutionem provocanda sunt, ante omnia lex Scantinia citari debet, quæ lata est in pædiconos & pathicos te, & tui similes puniendos. Antequam vero mulieres accuses, respice primum & considera viros. Hi longè plura scelera designant, quàm mulieres. Sed illos viros nos mulieres punire non possumus. Nam numerus & multitudo illos defendit, & exercitus, in quo vir viro, arma clypeiq; cum armis & clypeis conjunguntur. His accedit quod cum omnes viri molles & effeminati sint, etjam magna inter illos sit concordia, & ob id unus alterũ non punit. Non autem ullum exemplum tam detestabile & exsecrabile est in nostro fæmineo sexu, quale in vestro virili. Nam Tædia meretrix non est fellatrix, & lambit alteram meretricem Cluviam, nec Flora meretrix alteram meretri-

cem

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0032
DFG

cem Catullam. Contra a. in vestro sexu Hispo vir illa infamis est fellator & Pathicus, & inclinat se ad fellandum subitq; juvenes ad pattendum stuprum, & utroq; morbo pædicando & fellando ægrotat. Vos ergo viri muliebria agitis & patimini. At nunquid nos mulieres virilia exercemus, aut causas agimus, jus civile novimus, aut ullo strepitu vestrum judiciale forum perturbamus? Paucæ forte inter nos mulieres sunt, quæ in theatro pugnant & luctantur, & athletarum panes comedunt. Vos a. viri muliebria tractatis officia, vellera lanamq; trahitis, & carminatis, & peracta texta, & carminata, ad illos, à quib. illa peragenda accepistis, calathis reportatis, vos viri fusum tenui filo circumvolutum & paullatim crescentem & quasi gravidū factum in gyrum torquetis, & netis, longè melius, & artificiosius, atq; ipsa Ulyßis uxor Penelope ab hujusmodi artificio maximopere laudata; & Arachne puella Lydia, quæ in arte texendi cum Pallade certavit, & quale opus muliebre exercet inculta horrida, & male habita pellex cum marito in adulterio deprehensa in Cōdicis carcere à dominâ conclusa, & ad perpetuum lanificium condemnata. Iam verò toti urbi innotuit, quod Hister dives ille Cinædus vivus adhuc solum suum libertum in testamenti tabulis omnium suorum bonorum heredem fecerit, & puellæ uxori suæ multa dederit. Nimirum Cinædus Hister à liberto suo subagitabatur, & conjugem suam muneribus corrūpebat, ne facinus proderet. Atq; adeo, quæ mulier dives fieri volet, nubat solūmodo tali effeminato Cinædo,

cjusq;

ejusq; scelera non revelet: Nam si scelera talia secreta celet, multas preciosas gemmas, teretes lapillos & cilyndros à marito suo muneris loco accipiet. Atq; adeo illa mulier brevi dives erit, quæ diviti nubit, & cum illo & subagitatore tertia in lecto dormire potest. Cum autem viri tam nefanda scelera in se admiserunt, postea nos innocentes mulieres condemnant, & tristem ex lege Iulia de nobis sententiam ferunt. Nimirum acris judicum censura & judicum obscœnos illos corvos, infames, inquam, viros absolvit, & impune dimittit, & columbas ex imbecillitate & simplicitate forte peccantes, miseras, inquam, nos mulierculas, molestia adficit, & condemnat.

Hæc Lauronia. Et quam quidem elata voce in virorum scelera ita vera & manifesta publicè debacchantem, effeminati illi nebulones, qui Stoici, rigidi, & severi virtutum magistri videri volebant, trepidi & timidi properè fugerunt. Nihil enim ipsa falsi dixit. Verum quid sceleris alij non facient, & in se admittent, cum nostri judices adeo molles sint, ut pellucidas vestes, & multitia induant, (quibus ne obscœniora quidem corporis satis teguntur) & tamen in mœchas, Proculas, Pollineas, & alias declamant, easq; condemnant audiente populo, & hanc vestis mollitiem in judice demirante & detestante. Et quæ quidem vestis adeo turpis & obscœna est, ut etjam, Labulla, Carfinia, & aliæ adulteræ si damnatæ ex pœna in mœchas constituta virili togâ in publicum prodire cogerentur, tales utiq; togas nunquam induerent, quales

nostri

nostri judices. Verum excusant se & dicunt. Mense Iulio ardore conficior & æstuo: alijs vestib. uti nequeo. Quin tu nudus potius incede, quam tam turpi & infami amictu vestitus. Satius est enim ut populus te insanum dicat, quam mollem & infamem. En turpissimum habitum, in quo merito te judicem jura & leges ferentem viderent majores nostri sub initium conditæ urbis, strenui & fortes milites post partam ab hostibus victoriam vulneribus crudis adhuc & recentibus sordidati, aut ijdem agriculturam in montibus exercentes finitis laboribus, & aratris depositis, laborioſi & ab omni mollitie alieni: Nimirum qui in hasce tuas vestes despuerent, tuamq; judicis mollitiem exsecrarentur. Quid autem convitiorum non merito proclames cum tantam mollitiem in corpore judicis videas? Quæro ex te, anne ob tam mollem vestem testis merito reijci possit? Multo profecto magis adhuc judex. Tune, qui videri vis acer, rigidus, & indomitus judex, & maximus libertatis vindex & assertor, veste effæminatissimâ pelluces, & vix obscœna corporis tegis. Verum satis mihi exploratum est, unde hanc tibi mollitiem contraxeris. Nempe contagiū & commercium cum mollibus hanc labem & maculam tibi contraxit, & per te in plures alios porro dabit, & transferet, non aliter ut in agris totus porcorum grex unius porci scabie & porrigine inficitur, & perit, & ut una uva ab alterâ uvâ corruptâ, quam conspexit, livorem ducit, & corrumpitur. Verum tu, ô judex, hoc tuo molli & infami amictu fœdius & tetrius aliquod facinus ali-

quando designabis. Nemo enim repente factus est turpissimus. Sed paullatim te in consortium suum assument molles illi viri, qui in mulieres degenerantes, muliebria per omnia agunt & patiuntur, Cinædi & Pathici turpissimi, qui tanquam mulieres domi & privatim longa redimicula & ornamenta mulierum assumunt, & toto collo suo monilia apponunt, & clam Bonam Deam, quæ palam à mulieribus tantum colitur, colunt, eamq; suum tenerarum extis, & magno cratere vino mellario, & lacte pleno placant. Et in clandestinis suis sacris per omnia mulieres Bonam Deam colentes imitantur, hoc uno feminis contrario more utuntur, quod cum aliàs Sacra Bonæ Deæ à mulieribus celebrentur; hoc vero in virorum conventiculis à Solis maribus coluntur, & mulieres tanquam profanæ per præconem arcentur ab his sacris, & excluduntur: ubi nulla etiam tibicina & psaltria cornu cantans ob id adhibetur. Talia infamia & detestanda sacrorum Orgia apud Athenienses quondam fuere sacra Deæ Cotyttus, quæ Baptæ infames & Pathici clam & secreto inter se colebant, & Deam Cotytto assiduis sacris pæne delassantes, peragebant. Adeoque omnia muliebria cum summâ sexus infamiâ exercent. Alius inter hosce semiviros tanquam mulier, ut amatori suo placeat, madida nigredine supercilia sibi denigrat, & illa incurvata acu producit, & extendit, oculosq; suos tanquam Veneris ope-

vis opere finito trementes, lubrices, & lascivos infamium meretricum more pingit, fucoq; illinit: alter, non secus ac si tanquam mulier virili membro delectetur, è vitreo Priapo bibit, quin etjam oblongas imò ingentes, tanquam mulier comas alit, easq; muliebri vittâ & reticulo aurato circundat & colligit: Adde quòd etjam vestimenta mulierum mollissima gestant, ut sunt cærulei, scrutulati, aut galbinei coloris tenera rasa & polita. Quid? quod etjam horum ministri, non more virorum per Iovem, Herculem, Genium, jurent, sed per Iunonem, ut mulieres. Alius inter illos speculum illud, quod Salvius OTHO Imperator, Cinædus ille & Pathicus horum similis olim gestavit, in manu assiduè terit, seq; in illo contemplatur, magni illud thesauri loco habens & jactans non aliter ut ingentis bellatoris eximium quoddam spolium. Nimirum quo speculo invictus ille Imperator OTHO suam armati effigiem contemplabatur in castris, inter arma, cum vexilla juberet tolli ad committendum prælium cum hoste Sergio Galbâ. Certe hoc OTHONIS Imperatoris speculum, quod inter sarcinas civilis belli, inter OTHONEM Galbam & Vitellium gesti, fuit, res est memorabilis, & digna quæ novis Annalibus & recenti historiâ ad perpetuam rei memoriam referatur, & conservetur. Quanta autem turpitudo Imperatorem Romanum tam probrosæ curæ in poliendâ cute esse, ut etjam

paulo ante conflictum in speculo se contempletur. Nimirum summi ducis est Galbam hostem occidere, & summi civis fortitudo & constantia est cutim curare, & ad speculum ornare, In Campo Bebriaco cum Vitellio de spolio Palatij & Imperij Romani dubiâ palmâ concertare, & ad sollicitandum cutis candorem pane lacte asinæ madido faciem illinere, & panis offas in vultu digitis undiq; dilatare & extendere. Hæc non bene conveniunt. Et quam turpitudinem & infamem mollitiem nulla unquam mulier, quæ bella gessit adhibuit, nec Pharetris armata regina Babyloniæ Semiramis unquam fecit in Assyriâ, quamvis adeo libidinosa fuerit, ut filium Ninum de stupro sollicitaverit, & caballum ad concubitum usq; amaverit: Et quod nec Cleopatra Ægypti regina Antonij amica mœsta ob amissam victoriam ad Actium Epiri promontorium, in navi vecta admisit, quamvis mollissima & perditæ libidinis mulier. Sed ut androgynos illos redeam: Apud illos omnia turpia sunt, in verbis nullus pudor, nulla reverentia, ne in mensâ quidem. Apud illos est turpis illa libertas sacerdotum Deæ Cybeles, quævis turpissima dicendi, & fractâ effeminatâq; voce loquendi apud quos Antistes sacrorum, & quasi pontifex maximus est senex aliquis canus delirus, & fanaticus, ingens ciborum heluo, & rarum ac memorabile exemplum immensæ voracitatis & ingluviei, & vel quâvis constitutâ mercede conducendus ad præfecturam & magisterium horum mollium pathicorum, cum omnes reliquos obscœnitate & voracitate longè superet.

ret. Verum cum vita turpißima ſacerdotum Deæ Cybeles & Phrygiæ ipſis tantopere placeat, cumq; in mulieres degenerare cupiant, cur non faciunt, quod ſacerdotes Phrygij vel Archigalli, & virile membrum carnem ſupervacuam, cum mulieres ſint, lapideis cultris abrumpunt, quod jam dudum ipſos feciſſe oportebat? Quid? quod inter hoſce molles non deſint, qui alijs pro muliere nubant. Certè nobiliſſimus ille Grachus nuper dotis loco, tanquam mulier quadringenta ſeſtertia dedit ſponſo ſuo Cornicini, ſive is tubicen fuerit, non certe ſcio. Certè tabulæ nuptiarum & dotis à publico Notario ſunt conſignatæ, omnes præſentes ipſi acclamationibus congratulati ſunt, ingens cœna nuptialis fuit apparata, quin etjam ipſe Grachus tanquam nova nupta, ut in nuptijs conſuevit, in gremio novi ſui mariti jacuit. O proceres imperij Romani, quibus cura reipublicæ commiſſa eſt! opusne nobis eſt Cenſore, qui hæc ſcelera puniat, pœnisq; coërceat, an verò aruſpice, qui hæc prodigia & portenta expiet? Quis enim majus portentum diceret, magisve horreret vel trepidaret, ſi mulier vitulum, vel bos agnam pareret, quàm quod vir viro pro uxore nubit. Atq; adeo ille Grachus, qui olim Salius Martis bellicoſus ſacerdos fuit, & ſacra Martis loro clam appoſito in humeris portavit, & ſub ancilibus quæ portavit, quondam ſudavit: ille jam ſegmenta & aureas mulierum faſciolas, longas mulierum veſtes atq; adeo veſtimenta flammea, quibus novæ nuptæ velantur, induit, & ex forti, nobili, & viro ut mollis mulier vilißimo

Cornicini nupsit. O Pater urbis & imperij Romani Mars, unde tantum nefas ortum est, Romanis, qui quondam duri & laborioſi paſtores fuerunt? unde, ô Mars, hic libidinis pruritus poſteros tuos à te oriundos occupavit? Ecce Grachus vir nobilis, clarus genere & opibus, alteri viro Cornicini, tanquam mulier nubit. Et hæc tu vides & pateris, & non indignaris, nec præ iracundiâ galeam in capite tuo concutis, nec abjectâ haſtâ terram pulſas, nec patri tuo Iovi de hiſce ſcelerum prodigijs conquereris, ut illa fulminet. Quia ergo Imperium Romanum non curas amplius, ſed negligis, diſcede ex campo Martio ſevero & rigido. Tua enim præſentia nihil ibi prodeſt. Nam viri Romani jam in feminas degenerant, inter quos tales ſermones quotidiè audis. unus inquit: Cras ſummo manè officium aliquod amico pollicitus ſum, in porticu Quirini. Quærit alter; quid tibi officij exequendum habes? reſpondeat prior: quid quæris? amicus quiſpiam nubit? & quia vir viro nubit, non multos ad haſce nuptias, adhibet, ne fortè tales nuptiæ revelentur. Fruſtra autem talia ſcelera, cupiunt tegere, nam liceat tantum aliquandiu vivere, illa palam fient, quin etjam in publica acta memoriæ causâ referentur. Quamvis autem hi viri, cum viris omnibus ritibus obſervatis nuptias celebrent, interea tamen ingens adhuc ſcrupulus ipſis reſtat, quod viri cum ſint concipere & parere nequeant, & partu maritos ſuos ibi devincire, conjugiumq; ſibi confirmare. Verùm melius

& re-

& rectiùs est, quod natura talibus hominum perversis animis nihil iuris vel potestatis in corpus suum indulget, ut cum velint in mulieres se transformare & concipere, nequeant. Nam moriuntur steriles, & hanc sterilitatem nullâ ratione emendare possunt, & Lyde mulier unguentaria, quæ medicamentis sterilitatem se emendaturam promittit, condita medicamentis pixide nihil illos juvat: nec prodest ipsis sacerdotibus Lupercis per plateas discurrentibus manus percutiendas præbere. Quippe illi creduntur mulieribus sterilitatem adimere, non autem viris. Verum hoc monstrum Gracchi viri viro Cornicini nubentis, aliud monstrum alterius cujusquam Gracchi adhuc superavit. Nimirum qui gladiator fuit, & honestâ togâ depositâ tunicam induit, rete ac tridentem accepit, retiarium egit, & cum secutore commissus est, & ab eodem victus aufugit, & spectatorum auxilium implorans, totum amphitheatrum fugiendo lustravit, ut ab omnibus agnosci potuerit. Idq; Gracchus fecit, qui generosior fuit nobilissimis Romanis, Capitolinis, Marcellis, Q. Catuli, & Pauli Emylij nepotibus, Fabijs, & omnibus deniq; senatoribus, in prima subselliorum parte ad podium spectantibus. Quin etiam ipso prætore nobilior fuit, qui illos ipsos ludos gladiatorios exhibuit, in quibus Gracchus gladiatorem retiarum egit. Verum unde hæc scelerum portenta & prodigia? Vnde autem? nisi ab impietate. Nimirum quod nemo amplius

Deum aut inferos credit. Nam impijs apud inferos pœnas esse præparatas, mortuorum manes & animas supereſſe, & inferorum regna ſub terram improbos exſpectare, esse portitorem Charontem, qui oblongo conto, & unâ navi tot millia animarum per Stygiam paludem ad inferos deportet, & nigras ranas in Stygio gurgite, coaxare: Hæc inquam, ne pueri quidem amplius credunt, niſi ſint admodum infantes, & nondum dent balneaticum, nondum quartum annum attingentes; qui ut alias multas nutricum fabellas, ita hoc etjam fortaſsis adhuc credunt. At tu quicunq; es; hæc vera esse crede, ut certò ſtatue quæ brevi experieris. Quid autem cenſes? quid ſentiat ſanctiſsimus ille Curius, quid ſentiant ambo Scipiones pater & filius, quid Fabricius, & anima mortui Camilli, quid ſentiat Legio Fabiorum à Veientibus interempta, quid deniq; tota illa Romanorum juventus, ad Cannas ab Hannibale occiſa? tot animæ ſanctiſsimæ & puriſsimæ apud inferos, in tot bellis pro patriâ morientes? quid, inquam, illæ animæ ſentiunt, quoties hinc è nobis talis impura & polluta anima viri, qui viro tanquam mulier nupſerit, & naturam ſexumq; in ſe violârit, ad illas venit? Nonne ejus adventu & conſpectu contaminantur, & rurſus luſtrari vellent, ſi modo, ſulphur cum tædâ, & ignis, & aqua cum lauru & aſpergillo apud inferos eſſent, quæ fortè ibi non ſunt? Eheu! illuc ad inferos, nos miſeri homines mortui traducimur, ſive credamus ſive non; & quia brevi nobis moriendum eſt, quorſum opus eſt nos Romanos tantam potentiam

tiam in universo, & imperium in mundo adfectare, & quid nos arma ultra Hyberniæ littora, & ultra Britannos, apud quos æstivo tempore nulla ferè nox est, ultra ultimam Thylen, & Orcadas insulas, quæ modo imperio nostro adjectæ sunt, promovimus & extendimus? Verum quæ scelera nunc passim fiunt in urbe Româ, quæ reliquos populos vicit & superavit, illa non faciunt illi populi, quos nos vicimus. Sed tamen ne mentiar, unus puer Armenius Zalates nomine, dicitur jam Romæ omnibus ephebis mollior & corruptior, Tribuno libidine ardenti, sui corporis abusum indulsisse. Aspice, quanta vis sit commertij cum impuris & mollibus? Ille enim Zalates Romam venerat, obses, sanctus & purus, & honesto loco habendus, sed pravorum sodalitio brevi corruptus est. Nimirum hic fiunt homines. Imò homines infra bruta animalia degenerant. Nam si pueri exterorum aliquanto diutius Romæ commorati fuerint, statim corrupior ijs aderit, à quibus illi corrupti honestos patriæ mores & studia, braccas & vestitum etiam Armeniorum, cultellos, frena, flagra, & alia honesta equorum exercitia deponent & relinquent, & togam vel prætextam Romanam induent, & una cum illâ sceleratos Romanorum mores. Quos cum integri & puri Romam venissent, Romæ corrupti, Artaxata in patriam Armeniæ urbem revertentes secum reportabunt.

In Satyram III.

ECPHRASIS.

QVanquam propter discessum Vmbritij amici mei veteris & carissimi non mediocriter animo perturber: non possum tamen non laudare, quod Romam relinquere, & Cumis in urbe Campaniæ aptâ & minus populosâ habitare, & Sibyllam Cumanam uno cive augere velit. Per urbem Cumarum enim introitus est ad Bajas, in quarum vicinià actæ & litora longè gratissima sunt, & animi relaxandi locus amœnissimus. Certè, ego vel vilissimum extra Romam locum, atq; ipsam adeo Prochytam in Puteolano sinu Insulam Suburræ vico urbis Romæ celeberrimo antepono. Quid enim tam miserum tamq; solitarium, hominumq; frequentiâ vacuum extra Romam vidimus, ut non longè miserius, longè deteriùs credamus, Romæ vivere ibiq; domorum incendia frequentissima timere, assiduas ædium ruinas formidare, & infinita pericula pernitiosæ urbis Romæ exti-

extimescere, & importunitatem deniq; Poëtarum, qui intensissimo æstu Augusti mensis carminibus suis recitandis molestissimi sunt, & obvios quosq; auscultandi tædio occidunt? Verùm dum amicus meus Vmbriticus jam jam abiturus totam suam domum & tenuem supellectilem in unâ rhedâ componi curat, substitit mecum ad veteres arcus triumphales, & portam Capenam propter aquæ ductum madidam & stillantem, ibiq; rhedam expectavit, illo in loco ubi quondam sanctissimus Romanorum rex Numa Pompilius de negotio Religionis deliberaturus, Ægeriæ Nymphæ nocturno tempore colloquendi tempus constituebat: Iam vero Romanorum sordibus, pudet dicere, sanctum illud nemus & fons Vestalibus sacer, & Camænarum delubra Iudæis elocantur post destructam Hierosolymam profugis & mendicantibus, quorum supellex, totaq; bonorum substantia est cophinus & fænum. Quippe tanta jam Romanorum avaritia, ut in sacro illo luco jam omnis arbor ad quam mulus alligari potest, mendicis Iudæis locata precium locationis Populo Romano promereri cogatur, & ejectis Nymphis sylva turpem stipem à Iudæis mendicis efflagitat. Nos verò hinc ulteriùs in vallem Ægeriæ descendimus, & speluncas illas antiquissimas ab Ægeriâ Nymphâ & Numâ frequentatas, quæ longè dissimiles sunt illis veris & priscis à naturâ excavatis. Quippe quas stulti posteri marmore expolire ambitiosè

voluerunt,

voluerunt, & ita profanârunt. Quantò enim præstantior esset aquæ fontis, propter numinis præsentiam sanctitas, si artificio naturalis ille fons pollutus non esset, sed si herba ibi naturaliter nascens, virenti margine fontem circumdaret, ibiq; ingenuus & naturalis tophus lapis nasceretur, qui à marmore ibi arte posito non violatus esset? Hoc in loco Vmbritius discessus sui causas mihi exponere incipit, & inquit: Quoniam video, ô Iuvenalis, quod bonis artibus Romæ amplius locus non sit, quod honestorum laborum nullus fructus nec merces amplius sit: Quia me etiam hic quotidie ad paupertatem redigi video, meæq; res & opes hodie minores sunt, quàm heri, eædemq; quam vis exiguæ & minutæ cras etiam aliquid deperdent, ut paulò post nihil sint; Romam relinquere, & Cumas proficisci mecum animo constitui, ubi Dædalus (ut est in veteri fabulâ) è Cretâ fugiens longo volatu fessus consedit, & suas alas cereas deposuit. Nimirum ego è patriâ meâ ingratâ mihi & odiosâ discedam, dum per ætatem adhuc possum; dum senex esse incipio, & capilli mei paucis novis canis insparguntur, dum senectus hæc jam primò incipit, meumq; corpus nondum incurvavit, dum adhuc portio aliqua vitæ meæ mihi vivendi restat, & vitæ meæ fila à parcis nondum omninò absumpta sunt, dumq; adhuc pedibus meis incedere possim, nullo baculo corpus meum sustentante. Vivant autem & maneant Romæ Arcturius, Catulus, & alij nebulones qui asentationibus, delationibus, & calumnijs nigra in candida, bona in

mala

mala possunt convertere, qui hisce malis artibus, alijsq; impuris officijs ditescunt, qui locum sacrum & templorum agros, magno suo emolumento conducunt, & integra flumina, integros portus, qui per suos administros sordes & cloacas exhauriunt, mortuorum cadavera ad busta portant, unde immensos quotannis consequuntur reditus. Qui etjam præfecturam publicæ venditionis sibi acquirunt, & servos venales & alia sub hastâ & auctione vendunt. Hi, de quibus dixi, vilißimi olim cornicines fuerunt, idq; non in urbe, sed theatris municipiorum & oppidorum extra Romam, quæ perpetuo frequentabant, inq; illo satis noti erant: illi jam hisce quæ dixi ministerijs & sordidis malisq; artib. ditißimi facti sunt, cũq; olim in theatris oppidorum viles buccinatores fuerint, jam Romæ in amphitheatro immensis sumptibus munera gladiatoria populo Romano edunt, inq; illis suis cruentis ludis, quemlibet è populo gladiatorem ab adversario superatum converso pollice & populi favore subtracto interimi jubent. Quando inde à ludis & cæde tot gladiatorum revertuntur, & immensas opes talibus spectaculis attrivêrunt, latrinas per servos exhauriendas, aliaq; impura officia condûcunt, ex quibus immensæ opes, quas gladiatorio munere attriverant, cum fœnore ipsis reponuntur. Et quidni illi omnia conducant, & omnia consequantur, quæcunq; tandem velint, cum illi sint nebulones improbi, quibus fortuna peculiariter favet, & quales illa ex humilimo loco ad magna rerum fastigia, summosq; opum & honorum

gradus

gradus attollit, cum ridiculum aliquid sine ratione agere, suoq; more jocari voluerit? Ego verò Vmbritius quid Romæ faciam, qui harum artium insolens ac ignarus sim, qui ut adulatores & delatores mentiri non possum, libros malos & imperitè scriptos, divitum Patronorum adulatoriè laudare nequeo, mihiq; legendos & describendos petere? Qur non sum Astrologus, ut ex astrorum motu futura prædicere, & filijs luxuriosis sub duris patribus viventibus parentum mortem & funera polliceri queam? qui nec in hominum perniciem veneficia & philtra ex ranarum visceribus conficere novi; nec internuntius sum inter adulterum & mœcham, ut quæ unus ad alteram munera & mandata mttat cognoscam. Porro meo ministerio nemo furta & scelera perpetrabit. Atq; ob id Romæ inutilis, non injuriâ urbem desero, & à nullo comitatus solus exeo, aque urbe Româ separor, tanquam mancum detruncatum & inutile membrum, & non aliter ut emortua & exstincta manus à corpore secando separatur. Quippe ego jam dudum malarum artium ignarus Romæ mortuus inutilis & invisus sum. Quis enim jam Romæ à potentiori amico amatur, nisi qui alterius secreta scelera exploravit, & ob id diligitur ne illa revelet, cujusq; animus sibi commissa scelera nec revelare tuto, nec tacere cum possit, fervet & æstuat. Ille enim dives & patronus, qui honesta arcana & secreta tantum tibi revelavit nunquam te diliget, nihil un-

hil unquam tibi conferet, neq; etiam quidquam se tibi debere arbitrabitur, contra autem ille Verri, Catilinæ, Clodio, alijsq; nobilibus & sceleratis carus & gratus erit, qui illorum secreta & scelera novit, illosq; furti, seditionis, adulterij, & incestus quocunque in loco & tempore accusare & in jus trahere potest. At verò quàm malæ, imò quàm pestiferæ illæ artes sunt, quibus dum aliorum scelera revelant multi ditescunt! Totius autem mundi opes, cum omni auro, quod per Tagum, perque alios fluvios auriferos in mare devolvitur, tanti nulli hominum esse debent, ut ob id amicorum scelera perscrutari, somno carere, detestanda præmia ab amico poscere, & à magno amico, cujus secreta facinora explorârit, ipse timens & tristis timeri cupias. Porrò illos jam recensebo, qui Patronis nostris longè sunt gratissimi, & quos ego hoc meo potissimum abitu fugio & devito, nec me rem pudendam proferre pudebit: Non possum ferre, ô Romani cives, urbem Romam moribus & sceleribus Græcorum Græcam esse factam, quamvis, si verum fatear, urbs Roma non adeo Græca, quàm Syra & Barbara est. Non enim usq; adeo magna portio plebeculæ Græcanicæ Romæ jam degit. Iam dudum enim Syri per Orontem fluvium navibus Romam confluxerunt, linguamq; Syriacam & Musica instrumenta cum obliquis chordis & suæ gentis tympana, unà cum tibicine & sceleratis moribus

moribus & meretricibus, qui quæstus gratiâ ad Mœnianum circum prostant, secum advexerunt. Vos ganeones & scortatores, quibus barbaræ tales meretrices pictis & variegatis mitris ornatæ, acceptæ sunt, vos huc conferte, & libidinem vestram explete. Hi Græci, quos dixi, & barbari cum Romam sæpe servi Venales veniant, paulo post liberi in equestrem imò Senatorium ordinem recipientur, & ad magnas divitias & honores pervenient. Nos autem Romani indigenæ viles homunciones sumus & manemus. Quippe nos, qui à Romulo oriundi sumus ad Græcos collati rustici & inepti sumus, & nihil aliud possumus, quàm matutino tempore vestem cursoriam togam induere, ad patronos salutandos & sportulam vel cænam promerendam currere, nosq; in Theatro gladiatorio munere polluere, athletarum unguento inungere, & ex Theatro victoriæ præmia reportare. At contra exterorum hic ex Sicione, ille ex Amydone, alter ex Andro, aut Samo, ex Trallibus, aut Alabandis, aliisq; Insulis aut urbibus Græciæ, colles Æsquilinum & Viminalem petunt, Romamq; penetrant non ut nos Romani, tanquam clientes mane à patronis suis sportulam emendicaturi, sed ipsi magnarum domuum & palatiorum inhabitatores domini & patroni futuri, nos q; indigenas clientes habituri. Qui enim ingenium velox omnibus discendis & excogitandis habet; cui perdita est impudentia & audacia; qui sermone promptus & expeditus est, & Isæo Oratore eloquentior, quales nimirum sunt, qui è Græciâ Romam

mam veniunt; age dic mihi, quid talem hominem esse putas? profectò ille non similis futurus est rusticis nobis Romanis, sed quemvis hominem ad omnia promptum & paratum se nobis attulit, Grammaticum, Rhetorem, Geometram, Pictorem, unctorem, augurem, funambulum, medicum, magum. quid dico? omnem hominem. Nam Græcus si fame prematur aut esuriat, omnia potest; qui si jusseris vel in cœlum subvolabit. Et ne me falsa prolocutum existimes, & ut summatim omnia dicã, Dædalus ille, qui è Labyrintho ex Cretâ in Siciliam, vel ut alij dicunt, Cumas in Italiæ urbem per mare pennis sumptis volavit; ille non ex Mauritaniâ, nec ex Sarmatiâ, neq; ex Thraciâ oriundus erat, sed in meditullio Græciæ Athenis natus. Age vero dic mihi, nonne ego jure & merito Româ profugio, cum videam tales Græculos tam locupletes esse, ut conchyleatis & purpureis vestibus utantur? Egone feram tales Græculos mihi Romano præferri, in obsignandis testamentis tanquam honoratiores me prius signare, in convivijs honoratiore loco & meliori culcitrâ reclinare & decumbere, qui olim unà cum mercibus Romã venales advecti fuerunt, illo ipso vento, quo pruna, coctana, ficus, aliæq; merces, Romam advehuntur. Itane verò pro nihilo habendum est, quod ego Vmbritius Romæ in Italiâ in Aventino monte infans vitalem spiritum hausi, & Italis fructibus & cibis è Sabiniâ Romam allatus nutritus sum. Quid? quod hi Græci in adulationibus longè sint callidissimi, & miris modis se hâc arte in po-

 tentio-

tentiorum amicitiam insinuare possit. Qui laudant indoctorum amicorum sermonem tanquam doctissimum, deformis amici faciem tanquam formosissimam, amicos prolixioris colli imbelles & invalidos, similes esse dicunt Herculi, qui Antæum terræ filium à terrâ vires resumentem, procul à tellure elevabat & superabat; qui cum summâ admiratione laudant stolidi amici vocem stridulam mollem & minus virilem, & qualem edere solet domestica illa avis, à quâ tanquam marito gallina in coitu morderi solet. Porro nos Romani eadem, quæ Græculi illi, per adulationem laudare possemus: Verum frustra illud facturi: illis enim adulantibus creditur, non nobis. Nempe qui adulandi partes longè majori solertia & felicitate exsequuntur. Neq; enim unquam melior quisquam histrio invenitur, quàm Græculus, sive Nympham quandam marinam nudam repræsentare debeat, sive meretricem Thaidem in Comœdiam introducat, sive deniq; honestam quandam matronam agat. Nempe tam dextrè illud agit, ut existimes non personam, sed veram naturalem mulierem loqui, & jures in inferiori corporis parte, non virile membrum apparere, sed ibi plana esse omnia, & muliebri tantùm naturâ distincta. Quamvis autem Romæ sint mimi longè solertissimi, ut Antiochus, Stratocles, Demetrius, & Hemus, qui in exprimendâ molli fœmineâ voce mirum in modum laudatur; illi tamen cum hisce adulatoribus Græcis collati non sunt admirabiles, nec in ullo pretio. Quippe Græcorum natio, à naturâ

natura Comica est, & adulatoria. Si enim tu rideas, ille adulator in tuam gratiam solutiore risu concutitur. cum ille contra lacrumas amici sui vidit, magno singultu & ploratu flere potest, quamvis non doleat. Si tu hyemis tempore in modico frigore, modicum ignem, ut te calefacias accendi jubeas, ille quod in ingenti frigore fieri consuevit, oblongam vestem, & crassis pellibus suffultam accipiet, si tu contra te calore confici & æstuare dicas, ille dicit se sudare. Nos igitur Romani illis Græcis in assentando pares non sumus, sed Græcus ille in hoc longè melior & felicior, qui quovis loco & tempore alienum adulatoris vultum assumere, quæ non sunt adulatoriè simulare & mentiri, qui patronorum suorum verba & facta, manuum jactu & gestibus miris modis admirari & probare, laudare etjam turpia potest, cum amicus bene ructavit, libere vomuit, lectum ebrius perminxit, crepitum ventris edidit; & deniq; si fortiter potet, & trullam auream strenuè evacuet, & inverso fundo unà cum spumâ omne vinum cum crepitu ebibat. Præterea à Græcorum salacitate & libidine nihil tutum, nihil impollutum & inviolatum manere potest, non ipsa materfamilias, non filia tenera adhuc virgo, non hujus sponsus præsertim si adhuc imberbis sit, non filiusfamilias, qui antequam hæ libitinæ in domum penetrarent, castus & pudicus erat. Si autem nihil horum sit, quod suâ libidine polluant & contaminent, universam domum patroni sui curiosè perscrutantur, ut ejus secretorum scelerum atq; facinorum conscij

evadant ; Vt ita postmodum à patrono suo timeantur, à quo quicquid tandem cupiant promtè sine repulsâ auferunt, ne illa scelera divulgent atq; prodant. Et quoniam de scelerată Græcorum curiositate in perscrutandis arcanis aliorum sceleribus, & ijsdem prodendis mentionem facere cœpimus : age mittamus indoctam plebeculam, de quâ hactenus, & ad Philosophorum Gymnasia migremus, ibiq; audiamus scelus aliquod sanctioris Philosophi Stoici, qui sancto illo habitu prolixioris togæ atq; abollæ incedunt. Rem profecto atrocem ! P. Egnatius Celer, Philosophus Stoicus jam senior, atq; adeo in Ciliciæ urbe Tarso (ubi alatus equus Pegasus ex Gorgonis Medusæ sanguine natus, cum Bellephoronte decidens, calcem fregisse dicitur) nutritus & educatus est : Ille inquam delator Baream Soranum amicum, imò discipulum suum apud Neronem detulit, & prodendo interfecit. Porro in familijs illis ad quas Græculi penetrarunt, & in quibus principatum obtinet aliquis Protogenes, vel aliquis Dyphilus aut Erimanthus quispiam : ibi Romano cuipiam locus non est. Quippe illud Græcanicæ genti vitium peculiare est, nullum amicitiæ consortem admittere, patronum cum nemine dividere, sed illum vult sola possidere. Id quod ipsum miro artificio obtinet, & pessimis artibus. Quippe ille cum exiguum tantum de adulatione, delatione, calumnijs, alijsq; & naturæ, & patriæ suæ Græciæ venenis, in patroni sui aures, calumnijs & adulationibus nimis patulas, susurrando instillavit : Continuò ille novus

cliens

cliens recipitur ego vetus cliens ex ædibus patroni mei ejicior; continuò tam longæ & fidelis servitutis tempora pericrunt. Quippe Romæ levè admodum damnum reputatur diviti, veterem aliquem clientem perdere, cujus quidem jactura & amissio, nusquam minoris æstimatur, quàm Romæ. Porro quodnam officium pauperes Romæ habemus, & quod emolumentum, quamve mercedem, ex illo officio consequimur, ne forte nobis blandiar, cum dicam nos in patronorum clientelâ esse, si vel maximè cliens togam indutus, vel de mediâ nocte, ad patronum salutandum, sportulamq; promerendam currit; si ipsi à ditioribus præripitur? Quippe cum etjam ipsi prætores & tribuni, eam sportulam per lictores suos, & ministros petant, eosq; mediâ nocte præcipitanter currere, nosq; pauperes clientes competitores sportulæ prævenire jubeant, cum orbi divites, quibus hæredipetæ potissimum blandiuntur) jam dudum vigilent, ne quis forte sit inter competitores collegas, qui Albinam, Modiam, & reliquas divites matronas sine liberis, prius salutet, illoq; officio sibi magis devinciat. Hic, dum tantâ contentione sportula manè petitur, temerè & sine ordine currunt, & civis Romanus ingenuus alicujus lictoris divitis servi latus claudit, eumq; comitatu suo stipat, & viluori loco ad sinistram currit. Ingenuus, inquam, cum servo. Quorum duorum alter, ingenuus nimirum, centum miselios quadrantes manè cum servis mendicat, vesperi autem immensam pecuniæ summam, & tantum sæpe nummorum, quan-

tum Tribuni in legione, quorum salarium maximum est, in Calvinam, Cattenam, aut aliam quandam nobilem meretricem, pro unâ atq; alterâ Veneris consuetudine confert. Alter verò servus, cum publica & rogata vilior meretrix satis sibi placeat, Chionem aliasq; nobiles meretrices nihil curat, ijsq; in publico obsequium præstare, atq; ex altâ sellâ descendentes excipere, recusat. Nimirum pauperum conditio Romæ longè miserrima est, qui inter alia impij quoq; & scelerati habentur, ijsq; vel jurantibus nihil creditur. Produc enim Romæ cum causam dicis, testem aliquem virum vitâ integerrimum, & tam sanctum quàm fuit Scipio Nasica, corculum dictus, & ob vitæ integritatem dignus habitus, qui Deam Phrygiam hospitio tam diu exciperet, donec ei templum conderetur: Procedat ad testimonium dicendum, aliquis Numæ Pompilio viro sanctissimo similis, vel deniq; Lucio Metello Pontifici maximo, qui Vestæ templo ardente Palladis imaginem ex medijs ignibus cum vitæ periculo oculorumq; jacturâ eripuit & servavit. Hic quamvis sanctissimus vir sit, si dives non sit, repudiabitur. Quippe Romæ jam in examine testium protinus ad divitias & censum respicitur, primoq; omnium de opibus interrogatur, nimirum quot servos pascat? quot agri jugera & fundos possideat, quàm magno sumptu in victu & apparatu utatur. Nimirum quærunt omnes, quàm dives, nemo quàm bonus aliquis sit, & de moribus & vitâ omnium ultimò quæritur. Deniq; quantum quisq; nummorum in

arcâ

arcâ reconditum habet, tantum etiam fidei in judicio & alibi obtinet. Adeoq; ut vel maxime omnes Deos in testimonium voces, & per Samothracum exterorum & nostrorum Deorum aras jures, si pauper sis nihil tibi fidei adhibebitur. Pauper enim ob inopiam pejerare, & Deorum fulmina ipsosq; Deos contemnere creditur, ipsiq; ob pauperiem pejeranti Deos ignoscere. Quid? quod hic idem pauper, de quo dico, Romæ non solum parùm pius, sed etiam passim ludibrio habetur, omnibus materiam & caussas jocandi & ridendi suppeditat, quoties ob inopiam sordidâ & obsoletâ lacernâ & togâ indutus incedit. Si alter calceus corio rupto & fracto apertus hiat, vel si multiplex cicatrix ex consuto vulnere & ruptura vestis reliqua crassum lineum & recens album filum oculis spectantium exhibet. Certè paupertas quamvis sit longè gravissima, nihil tamen gravius & durius in se habet, quàm quòd suos possessores aliorum risui & ludibrio exponit. Quid autem turpius, quid miseriùs, quàm eludi, idq; publicè in theatro? Ecce autem in Amphitheatris si quis viliorum è plebe imprudentiâ forte ad equitum sedilia penetret, continuò Lectius aut Oceanus Theatris præfecti eum ab occupatâ sede explodunt & inquiunt: Ille qui quadringenta Sestertia non posidet, censumq; equestrè non habet, & ob id ex Lege Othonis inter equites censeri nequit, ille, nisi extremè impudens sit, exeat & de sedilib. equitum pulvinarib. stratis surgat. O Rem indignissimam! Nempe optimi viri, quamvis pauperes

surgant, ut ibi in equitum ordinibus sedeant scortorum & lenonum pueri in quocunq; ganeo & prostibulo nati, qui ex peculiari fortunâ ad honores & dignitates evehi solent. Hic plaudant in quatuordecim equitum gradibus illorum filij, qui olim vilissimi præcones rerum venalium fuerunt, & malis jam artibus lauti atq; opulenti facti sunt, inq; equestrem ordinem transscripti, inter filios gladiatorum, retiariorum, & & magistrorum pugilum, quondam vilissimorum, nitidos, cultos atq; benè habitos. Sic enim visum est L. Roscio Othoni vano Legislatori, qui hanc legem theatralem tulit, & pauperes à divitibus, plebem ab equitibus distinxit, & in theatro separavit. Quia ergo pauperes Romæ adeò comtempti sumus, nemo invenitur, qui pauperem & opibus inferiorem, & imparem doti ac divitijs sponsæ, sibi generum, filiæ maritum eligat; qui pauperem suorum bonorum hæredem scribat; qui pauperem ad Ædiles & Magistratus de re aliquâ cognoscentes in consilium vocet? nemo profecto, nemo, qui in aliquo ordine & numero pauperes Romæ habeat. Ob id jam dudum pauperes Romam deseruisse, & facto agmine aliò migrasse & coloniam eduxisse debuerant. Atq; adeò cum ubiq; ita comparatum sit, ut pauperes non facilè ex obscuro emergant & caput attollant, Romæ longè durior conatus emergendi, longè difficilior lucta caput extollendi pauperibus proposita est. Quippe ubi omnia etjam vilissima magno constant, ubi tenebrosum & miserabile hospitium magno conducitur, servorum ventres magno alan-

aluntur, & frugalis deniq; & pænè famelica cœna magno pretio comparatur. Quippe ubi inter alia splendida illa pauperum miseria est, & superba paupertas, quos è fictilibus cœnare pudet: quod profectò qui extra Romam vivit, & subitâ migratione Româ ad Sabellos & Marsos Italiæ populos transiit, ibiq; tegmine capitis Veneti coloris duro & rustico contentus vivit, turpe & ignominiosum esse non putat. Longè quippe facilius est extra Romam vivere in oppidis, ubi nulla ambitio. Multi quippe in Italiâ inveniuntur, si veritatem admittere voluerimus, qui nunquam vivi togam induerunt, sed mortui tantum in eâ componuntur, & quâ togâ Romæ ne viliss mi quidem, dum Patronos suos salutant & deducunt, quotidiè carêre possunt. Extra Romam in oppidis si quando dierum festorum solemnitas quotannis ludis & spectaculis celebratur, extruitur ibi non marmoreum aliquod theatrum, sed è vivo cespite arborum frondibus ac ramis ornatum. Finitis Fabulis ad recreandos spectatorum animos ridiculum carmen Exodium in pulpitis recitatur, ibi tritum & usitatum; ubi infantes rustici horum spectaculorum insolentes, larvatæ personæ oris horrendum rictum & pallidam faciem cum horrore intuentur & formidant. Nulla autem in spectaculis illis ambitio, omnes spectatores eodem modo & æquali habitâ sunt vestiti, orchestra & populus per omnia sibi similis & æqualis. Summi tantum ædiles & Magistratus, qui annonæ & ludis præsunt, tunicas tantum albas gestant, quo vestis velamine in signum Magi-

stratus sui utuntur. Hic contra Romæ vestium nitor, & habitus cultus atq; splendor, ultra quam opes & facultates cujusq; sustinere possunt, passim adhibetur: hic interdum ex aliena arca mutuo in fœnus accepti numi plus, quam satis est, sumitur & insumitur, idq; vitium omnibus & singulis commune est. Deniq; hic ambitiosa paupertate & splendida miseria omnes vivimus. Quid verbis opus est? nihil Romæ gratis cuiquam contingit, ne sportula quidem, ob quam de mediâ nocte surgentes patronos suos salutant. Quid enim, si Cossum illum divitem manè salutare velis, vel si superbum illum Fabritium Vejentonem, (qui ex singulari fastu salutantes non alloqui, imò ne aspicere quidem dignatur) convenire velis, quantum janitoribus, ut intromittaris, dare cogeris? Nonne precij fermè dimidium? Vt jam taceam quod clientes omnis generis officijs, imò muneribus & annuis tributis, patronorum suorum servos, domesticos, & quos illi caros habent, sibi devincire cogantur. Quo nomine, alter clientum barbam alicujus liberti divitis patroni, alter crinem pueri à domino in delitijs habiti detondit, eiq; dulciaria & liba ex melle, oleo, & farre muneris loco mittit, quoties detonditur, aut natalem diem celebrat. Quin etjam hujus rei indignissimæ consideratione meritò irâ exardescas, inq; fermento sis, quod nos clientes servis patronorum tributa quotannis exhibere, eorumq; peculia augere cogimur, qui culti & bene habiti nostris paupertum muneribus diteſcunt. Quid alia urbis incommo-

da &

da & periculâ memorem, à quibus in alijs Italiæ opidis tutus ac immunis sis? Certè qui in montano illo opido Thusciæ Præneste, aut Volsinijs in Hetruriâ inter montium juga arboribus undiq; cinctâ sitis, aut in viâ Præneſtinâ Gabijs simplicibus & parum cultis, aut Tibure in præcipitio positâ habitat, nec ruinam nec incendium ædium reformidat. Nos autem qui Romæ habitamus magnâ ex parte vetusta ædificia inhabitamus, tenuibus fulcris sustentata, & assiduè ruinam minantia. Nam villici ex agris in urbem acciti ruituris ædificijs hujusmodi sustentaculis obstare solent, & testudinum veteres rimas & foramina modico calce obducere, postea tanquam omnia probè refecerint abeunt, & nos securos dormire jubet, quibus tamen ruina assiduè capitibus imminet, aliquando inhabitantes obruturа. Quis hic ulterius inter tot pericula vivere cupiat? & non potius in Municipijs ubi nulla pericula nulla incendia noctis tempore metuis, & securo dormire possis? Ecce autem Romæ quotidie, ut est apud Virgilium, aliquis Vcalegon proximus incendium passus ardet, aquam ad incendium restinguendum poscit, suamq; supellectilem ex incendio properè ereptam in alium locum transfert. Sæpe etjam fit ut pauperes in cænaculis & tabulatis superioribus habitantes, incendium ex imâ domus parte ortum non prius animadvertant, quàm cum jam superiora tabulata cinxit & occupavit. Et sic ultimo omnium illi pauperes incerdiũ patiuntur, qui tegulis proximi in supremis tabulatis habitant, ubi colũbæ nidos solent ponere.

Et qui

Et qui sanè pauperes feliciores esse videntur, si incendio potius consumantur, quàm si vivi evadant. Hujus rei exemplum nuper vidimus Poëtam Codrum, qui pauperrimus erat, ut qui lectum habuerit curtum admodum, & Proculâ brevissimâ muliere minorem. Habuit præterea supellectilis loco sex parvos urceolos, quibus abacum suum ornabat, infra quem abacum parvulus cantharus positus erat, & una cum ipso sub eodem abaco marmoreo, ah quid dico? vili & ligneo statua Chironis Centauri. Iamq; valedicens carminibus omnis generis auctores & Poëtas Græcos in cistâ recondiderat, una cum divinis suis carminibus, quæ Poëta composuerat, quæ bardi & barbari mures in cistâ cum tineis & blattis arrodebant. Hæ divitiæ erant Codri. Nihil ergo habuit Codrus præter inopiam & pauperiem, & tenuem hanc supellectilem, & tamen totum hoc nihil, totam hanc suppellectilem pauperculam miser & infelix incendio consumtam amisit. Huc autem ultimus ærumnarum cumulus accedebat, quod cum nudus ex in incendio evasisset, & fame ac inopiâ oppressus frustra panes & stipem mendicaret, nemo civium Romanorum eum cibo dato subveniret; nemo ipsum tecto & hospitio reciperet, sed inediâ & frigore pauperem hunc contabescere sinerent. At vero si opulentissimi illius Arcturij splendida & magnifica domus incendio consumta corruat, tota urbs Roma tanquam mater filij infortunium squalido vultu mœsta dolet, Proceres Romani lugubri veste incedunt, Prætor in publico luctu judicia, & caus-

sas fo-

sas forenses differt. Omnes & singuli Arcturij casum tanquam totius urbis cum gemitu deflent, & incendij ignem detestantur & exsecrantur. Nec dolent solummodo hoc incendio, verum omnes certatim damnum resarcire satagunt. Dum enim adhuc ardet domus, accurrunt qui ad novam domum ædificandam marmora donent, ad eamq; sumtus & impensas conferant. Alter donat ei nudas & candidas ex Pario lapide imagines ad ornatum; alter eximiam quandam picturam aut statuam Euphranoris aut Polycleti nobilissimorum artificum; Alter præclaras & vetustissimas statuas Deorum ex Asiâ Romam deportatorum; alius quisquam bibliothecam ipsi dabit, & forulos, quibus illa recondatur, & Minervæ statuam dimidiatam in mediâ bibliotheca reponendam, alter deniq; modium argenti plenum, ad damnum incendij resarciendum ipsi dabit. Quid verbis opus est? hic, de quo loquor, Persicus, omnium orborum ditissimus Romæ, post incendij damnum longè plura longeq; meliora bona, à captatoribus sibi donata, colliget, quàm unquam ante habuit, adeo ut multis non immeritò suspectus sit, tanquam ipse suas ædes incenderit. Atq; hic urbis Romæ status est, in quo sane miserrima pauparum conditio, qui si modo à ludis Circensibus & theatralibus, quibus pleriq; vitam & spiritum ducunt, abstrahi possent, & Romam deserere, Soræ, Fabrateriæ, Frusinone, inq; alijs extra Romam oppidis, optima habitandi ratio, pro tanto pretio in totum vitæ tempus, emitur, quanti vix Romæ veterem tenebricosam

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0063
DFG

cosam domum, in unum annum possis conducere. Hic in opidis incredibilis vivendi commoditas & voluptas est. Sunt amæni horti, juxta brevi ab horto spacio puteus est, non profundus, neq; fune exhauriendus; sed manuali haustu facilè in vicinas horti tenues plantas irrigando diffundiendus: Hic villici vitam tranquillam & beatissimam sarculo & bidente potes exercere, & hortum colere, unde vel centum Pythagoreis à carne abstinentibus, & oleribus victantibus lautissimum convivium apparare possis. Hic proprias ædes, proprios hortos habitare poteris & colere. Sanè res non est contemnenda ubicunq; etjam locorum vivas, sibi aliquid proprij agri atq; fundi unde vivere possis comparare, si non magna latifundia & immensos campos, saltem tantum agri, in quo lacerta habitare, & quem possit perrepere. Longe adhuc plura & alia urbis Romæ sunt incommoda, ex immensâ hominum multitudine, ejusq; continuo diurno & nocturno strepitu. Multi profecto ægroti, qui sanitati restitui possent, Romæ moriuntur insomniâ. Quod eò fit, quia cibus imperfectus & indigestus in stomacho ob assiduas vigilias absolvi non potest, & crudus in ventriculo immotus hæret, ibiq; calorem & febrim eruditatibus suis excitat. Quæ enim cerdonum tabernæ & officinæ nectu & die laborantium aliquem dormire permittunt. Certè si quis Romæ dormire velit magnis opibus vicinis cerdonibus & opificibus datis silentiũ imponat, necesse est. Adeo magno precio somnus Romæ constat. Ex hisce autem vigilijs morborum caput & ori-

& origo est, cum quis dormire nequeat. Et quis Romæ dormire possit? Tantus strepitus & tumultus excitatur à rhedis & curribus, dum per arctos platearum inflexus transeunt, vel à mulionibus & rhedarijs, dum unus alteri in arctis vicis o. currens, & cedere non potens convicijs & maledictis insultat, ut etjam Druso homini somniculosissimo, & phocis marinis, quibus nullum animal profundiùs dormit, somnum excutere, nedum alicui ægroto possint. Et hæc incommoditas pauperes etjam fermè solummodo premit. Dives enim si quà ad officium amico debitum vocetur, facillimè quoquunq; volet perveniet, quippe qui per longos servos Liburnos lecticarios in lectică omni turbâ in plateis cedente, & locũ dante celerrimè super aliorum capita altè elatus vehitur, inq; illâ lectică dum vehitur obiter aliquid leget aut scribet, vel etjam dormiet. (Lectica enim si ejus fenestræ velo obducto clausæ sint, facile somnũ alicui concinnat) Et quamvis dives obiter in lectica vectus legat, scribat, dormiat; Tamen citiùs eò, quo volet, perveniet. At nos pauperes clientes si aliquo vocemur. & properemus, turba quæ prior est, nobis obstat, quæ sequitur nobis instat, nostrosq; lumbos agminatim incedens premit & impellit: è qua alter cubito me ferit, alter duro assere me percutit, alter oblongum tignũ, alter metretam per publicũ gestãs capiti meo incutit. Crura mea luto undiq; maculantur, mox humo prosternor, & magnis equorum calcib. totus conculcor, meæq; manus ac digiti clavis in militũ tibialibus fixis læduntur. Quin etjam nõ desunt, qui in vitæ pericula in plateis incidant, tenuiores & ser-

vi. Non-

Nonne vides enim quanto desiderio sportula, quæ in calatho dari solet, etiam à divitibus appetatur, quantoq; fumo & igni obsonijs subjecto illa frequentetur? Centum sæpè unius patroni clientes & convivæ sunt, quorum clientum unusquisq; suum servum cum calatho, ollis, vasis, igni, & culinâ deniq; sequentem secum adducit, incredibilis profectò ponderis onera ferentem, atq; adeo Domitius Corbulo, vir ille robustissimus tot ingentia vasa, tot ollas cum universâ prope culinâ, & tot deniq; res capiti impositas vix sustineret, quas erecto vertice infelix servulus portare cogitur, & interea tamen tam velociter currere, ut ignem ollis ne obsonia frigescant suppositum, currendo ventilet & excusscitet. Tunicæ paullò ante sartæ in tanto labore scinduntur, dum à tantâ multitudine in plateis premitur & stipatur. Quid de plaustris & curribus in plateis dicam? Abietes & pinus proceræ arbores serrácis & plaustris, grandibus vehiculis impositæ vehuntur, & longè in alto plaustre rectæ ex intervallo coruscant & resplendent, inq; vehiculis celsè suo pondere contremiscunt, & turbæ vicinæ agminatim incedenti suo casu exitium minitantur. Quod si talia plaustra unà cum arboribus subvertantur, vel si currus ille, qui grandia ex Liguriâ saxa portat, prosternatur, & ingens saxum, grandem montis partem super homines prætereuntes, & servos sportulam ferentes, & agminatim incedentes defundat: Sanè cadavera obrutorum adeo minutatim obteruntur, ut de corporibus, membris, ossibus nihil sit reliquum, illaq; omnia

omnia quasi evanescant, & ad nihilum redigantur, nec amplius appareant, & unà cum animâ invisibilia reddantur, oculorumq; aciem effugiant. Interea dum servus sportulam portans ita à vehiculo obtritus est, familia ejus de ejus morte nihil sciens & secura, patellas, & paropsides ad sportulam excipiendam lavat, focum accendit ignemq; flatu oris ad obsonia coquenda excitat, & domino ad balneum ituro omnia necessaria præparat, strigilibus oleo perfusis sonat, & guttum oleo plenum ad lavandum & ungendum, & lintea ad detergendum componit. Hæc inter conservos variè fiunt, & ad futuram cænam præparantur: Verum infelix ille conservus, qui sportulam allaturus erat, mortuus & non sepultus in ripâ Stygiæ paludis sedet, ibiq; recens accedens, & novitius terribilem illum inferorum portitorem Charontem cum horrore exspectat. Nec transvectionem ad inferos per immundum Acherontis fluvium sperare potest, utpote qui insepultus centum annis inter cælum & terram errare cogatur, nec trientem oris sibi impositum habet, quem nauli loco portitori Charonti porrigat. Videamus nunc alia & varia ac diversa noctis pericula, postquam de diurnis satis diximus. Quale & quàm altum spacium est è tectis sublimibus in terram, unde testæ & curta ac rimosa vasa è fenestris in terram dejiciuntur, sæpè in prætereuntium capita, quam immani pondere illa percussum silicem in pavimento stratum lædere, imò frangere solent! Sanè ille parum industrius & circumspectus Romæ meritò habetur, & subitanei

casus, & Romæ frequentissimi nimis improvidus & incautus, si quis noctis tempore alicubi ad cænam per plateas eat, & ante testamentum suum non condiderit, tanquam inter tot pericula certò moriturus. Atq; adeo Romæ tot fata, mortisq; genera vocte sunt; quot nocte in cænaculis fenestræ patent, in quibus homines adhuc vigilant, & in prætereuntes aliquid dejicere possunt. Ergo noctis tempore si per plateas incedas meritò optare, & votum hoc quamvis miserabile tecum ferre potes, ut è fenestris ex patulis tantum pelvibus lotio tantum, aut alia immundicie perfundaris, ne unà pelves & vasa fracta dejciantur, quibus occidaris. Quid de juvenibus ebrijs ac petulantibus dicam? qui noctis tempore per plateas discursant, & obvios pauperes malè multant; inter quos quidam sunt adeo insigniter petulantes, qui, si nullum pulsaverint, nocte dormire nequeant, sed insomniâ graviter excruciati, (ut Homerus de Achille Patrocli amici mortem lugente scribit) in lecto miserè volutantur, mox in faciem proni, mox in tergum supini, mox in dextrum, mox in sinistrum cubantes. Nimirum qui, nisi per malum & damnum alterius, dormire non possunt: Et sic quibusdam petulantissimis nebulonibus rixa & contentio cum alijs in plateis, somnum concinnat. Qui licet per ætatem improbi & petulantes, & vino inebriati ferveant & accensi sint: tamen à potentibus illis & divitibus, qui coccineas togas gestant, multis

multis comitibus stipati sunt, quibus multæ faces, & candelabrum ex ære Corynthio præfertur, abstinere didicit. Me verò Vmbritium, hominem pauperem, qui ad lunæ lumen domum meam soleo repetere, vel brevo candelæ lumen, quo parcè ac frugaliter utor, gesto, contemnit & petulanter incursat. Hic verò operæ precium est cognoscere, quàm misera nostræ pugnæ præludia atq; proœmia instituantur. Si modo pugna dici potest, ubi non æqualiter contenditur, sed unus tantum verberat, alter verò vapulat. Ille contra te stat, teq; progredi impedit, teq; stare atq; subsistere jubet. Necesse autem est, ut ipsi pareas, (Nam quid agas, ubi furiosus quisquam, & qui idem te quoq; robustior sit, te cogat?) Exclamat quorsum tendis; atq; unde venis? cum quo mendico tu famelicus vrppam bibisti, & vilissimam fabam viridem vorâsti? cum quo fœtido ac maleolente sutore tu porrum, & caput vervecinum elixum comedisti? Nihilne mihi respondes? Aut dic, quod rogo, aut calcanei ictum accipe. Ibi verò, sive quid tentes dicere, sive etiam tacitus coneris discedere, tantundem ac perinde est: Sive hoc, sive illud facias, illi pariter ferunt. Postea ubi tu vapulando, illi verberando defessi sunt, insuper illi adhuc tanquam insigni à te injuriâ adfecti irati sunt, & fidejussiones & vadimonia à te exigunt de non offendendo, vel pro injuriâ compensandâ, quâ se à te adfectos simulant.

Nimirum hæc libertas pauperum Romæ est, malè mulctati & palsati à talibus nebulonibus, rogant; & & pugnis contusi supplices verberantes adorant, ut tantum cum paucis dentibus, postquam reliqui excussi sunt, sibi inde discedere, & domum reverti liceat. Nec tamen hoc solummodo nocte Romæ metuendum est, ut malè mulcteris & vapules: Verùm etjam non deerunt spoliatores, qui te ad mortem usq; pulsatum spolient, præsertim mediâ intempestâ nocte, quando omnes tabernæ meritoriæ ex asseribus coagmentatæ ferreis catenis munitæ & clausæ sua opera amplius non exercent, sed consilescunt, ut nemo inde in auxilium venire possit. Interdum etjam latrones & grassatores ex insidijs subito prorumpentes ferro & gladijs rem agunt, & obvios non vestibus & numis solummodo, verum etjam vitâ spoliant, quorum profectò Romæ maxima jam copia est. Nam quoties loca latronum sceleribus accommodat, Pontina palus in Antiquo Latio, & Gallinaria sylva in sinu Cumulano, armatis militibus tutæ & immunes à latronibus conservantur & custodiuntur, omnes latrones & facinorosi ex illis locis huc Romam currunt, & huc certatim tanquam ad paratos pastus, & loca ad victum abundè sufficientia, confluunt. Vah! quanta nostro tempore sceleratorum copia, & Romæ præsertim! Nam quibus officinis ferrarijs, quâ fornace atq; incude jam non vincula ad sceleratos constringendos fabricantur? Magna profecto ferri copia in vinculis, catenis, numellis, compedibus fabricandis insumitur, ut

tur, ut non immerito timere debeas, ferrum ad vomerem, marras, sarcula, bidentes, ligones, aliaq; rustica instrumenta fabricanda (quibus vita carere nequit) defuturum. O verè felices proavos, & progenitores nostros! ô tempora, & sæcula illorum verè felicia! quæ olim sub initium Romani imperij sub 7. regibus, & sedecim tribunis Romam viderunt unico tantum carcere Tullıano contentam. His, mi Iuvenalis, quas pluribus enumeravi, plures alias causas discessus mei poteram subjungere. Sed tempus non patitur. Iumenta enim quæ meam supellectilem trahunt, me vocant, & Sol ad occasum inclinat. Eundum est. Nam mulio jam longo tempore me exspectans commotâ virgâ jamdudum signum mihi dedit. Ergo vale, ô Iuvenalis, & Vmbritij tui memor esto. Et quoties molestias urbis pertæsus in jucundo quodam secessu recreari volueris, & patriam tuam Aquinum petes, me à Cumis ad Elvinam Cererem, & Dianam vestram, quam in luco Minturnensi vos Aquinates colitis, voca, & ad te accerse, Ego ad te, Aquinum, bene caligatus & adversus frigus munitus in gelidam regionem veniam, tibiq; plures mei discessus causas aperiam, Romamq; ulteriùs tibi depingam, & materiam Satyrarum amplissimam tibi suppeditabo, nisi forte te auxilij mei pudeat. Salve, & Vale.

In Satyram IV.

ECPHRASIS.

ECce autem tetrum illud & exsecrabile scelerum portentum, Crispinus, iterum se mihi offert, sæpè jam ante in Satyris meis agitatus, sæpè in posterum ad operis Satyrici partes à me vocandus, & famosis versibus lacerandus & proscindendus; qui profectò immane vitiorum monstrum & prodigium est, ita ut nullâ virtutis excellentiâ à consuetis vitijs revocari atq; liberari possit? Et quod mireris, cum omnibus animi morbis ac sceleribus ægrotus & incurabilis jaceat, unâ & solâ libidine fortis strenuus atq; insuperabilis est. Et quam quidem ille invictus sine ullâ defatigatione exercet, illamq; à nullo sexu, nullâ conditione, nullâ ætate abstinet; cumq; famosissimus stuprator, scortator, adulter omnia suâ libidine polluat, nulliq; mulieri parcat, solam viduarum Venerem & concubitum aspernatur, quas tenuiores quæstus gratiâ sectari solent. Quis ergo illi, quamvis dit.ssimo invideat, cum malus sit ac nefarius? Quid enim illi prodest, quod in magnis porticibus suis à mulis vectatur, easq; ad delassationem usq; circumduci jubet; quod in hortis & viridarijs suis sub arborum umbris æstatis tempore à servis lecticarijs voluptatis gratiâ gestatur; quod suis ædibus in foro Romano emtis multa jugera occu-

occupet atq; impleat; si interea malus ac miser est? Nemo enim malus, quantumvis ditissimus & potentissimus, felix est, nullus improbus ac sceleratus, beatus est: Minimè ergo omnium Crispinus, qui omnes malitiæ numeros implevit, beatus est; quippe qui omnis ætatis, sexus, conditionis violator, qui incestu concubitu Vestalem virginem nuper vitiavit; quæ si cum alio corpus misc uisset ex Lege Numæ, viva sub terram fuisset dofossa, & ipse stuprator in comitio virgis ad mortem usq; cæsus. Sed jam de levioribus tantum Crispini sceleribus memoro, præ delationibus, & calumnijs ejus, quæ sunt longè gravissima. Et tamen si alter quispiam hæc leviora in se scelera admisisset, sub judice morum, ad mortem condemnaretur; Crispinus verò non solum ob id non punitus est, sed insuper laudem meruit. Quidquid enim Titio, Sejo, & alijs quibuscunq; è plebe viris turpe esset, & mortis pœnam promereretur, illud Crispino laudem & decus adferebat, Imperatore omnia ipsi ignoscente. Qui autem me à Satyrâ in tam tetrum monstrum scribendâ temperaverim, cum homo sit dirus & exsecrabilis, & quovis crimine, quovis scelere fædior, & detestabilior? Quàm vasta enim & immanis hujus monstri gula! Nimirum unum mullum piscem sex Sestertijs emit; qui cum sex librarum fuisset, singulas libras singulis emit Sestertijs; ut hujus monstri Gnathones & adulatores de illo referunt, qui de magnis mentiendo, plura & ampliora loqui solent, dicentes piscem tantum habuisse in pondere, quantum in precio, aut valore.

Atqui Crispini consilium, non improbarem, si mullum tanti emisset, eumq; alicui seni diviti liberis carenti dono misisset, & hâc captatione potiorem illius bonorum in testamenti tabulis partem adeptus esset. Vlteriùs aliâ ratione excusari posset, si piscem illum tanti emtum nobili cuiquam ac diviti amicæ muneris loco misit, quæ in lecticâ vel sella vehitur, cujus fenestræ undiq; lapidibus specularibus latis atq; pellucidis clausæ sunt. Verum tale aliquid de Crispino exspectare non potes. Nam mullum ipsum non alijs, sed sibi ipsi tanti emit, ut ipse illum comederet. Neq; hoc mirandum est. Videmus enim Crispinum, aliosq; luxuriosos multa ob propriam gulam, facere, quæ Apitius patrum tempore, homo perditissimæ gulæ exemplum, nunquam fecit ob gulam & excogitavit: Et qui Apitius si ad Crispinum, & alios hujus temporis gulones comparetur, miser profecto & frugalis ac temperans videbitur. Adeoq; Crispinus, qui olim ex Ægypto nequissimus verna vilissimâ papyro Ægyptiacâ vestitus Romam venalis deportatus est, hoc fecit, quod nullus fecit Apitius! O exemplum gulæ inexplebilis! Tantumne piscis precium fuit? Ipse fortassis piscator minori precio emi potuisset, atq; ipse piscis. In provincijs extra Italiam integri agri tanti emuntur, & in Apuliâ Italiæ regione, majores adhuc agri, quàm in provincijs hoc precio venduntur. Cum verò privati cujusdam hominis cœna tanti constet, quanti censes constare mensam luxuriosissimi imperatoris? Certè si Crispinus, qui in Palatio Cæsaris Domitiani, tantum

tum vilissimus adulator, & purpuratus scurra fuit, (& qui jam equitum magister, sex HS. emtos mullos edit, ille olim in patria sua vilissimus præco viliores pisces siluros furtim inde aliquid auferens, & frangens, magna voce proclamans in opidis solebat vendere,) uno ferculo, (quod in cænâ imperatoris etjam modicâ & frugali, exigua tantum pars de mensæ extremitate desumta judicari posset.) sex sestertia absumere, & ad ructationem ingurgitare potuit; Immenso haud dubie intervallo majorem pecuniæ summam, longeq; pretiosiores epulas in mensâ suâ summus Imperator Domitianus absumsit, & deglutivit. Verum cum jam præclarum aliquod summi Imperatoris facinus describere animus sit, & illi absolvendo me viribus imparem deprehendam, tu ô Calliope, quæ summorum heroum res præclarè gestas, Epico carmine describere soles, hic incipe: Ego enim huic materiæ impar hic aliquandiu subsistam. Non enim Poëtarum figmenta hic canam, qualia vates solent, sed res arduas ac sublimes, verè à summo imperatore gestas. Quare vos ô puellæ Pierides hoc factum narrate, mihiq; in hujus præclari facinoris descriptione prosit, quod vos Musas puellas dixerim, & invocaverim

Cum Domitianus è Flaviâ gente Cæsarum ultimus, terrarum orbem semianimem & semimortuum crudelitatis suæ flagello ad mortem usq; laceraret; cumq; Roma totius mundi caput, Domina & imperatrix calvo illi Neroni Domitiano turpissimè & abjectissimè inserviret: ex sinu Adriatici maris admi-

rabilis magnitudinis rhombus in portum urbis Anconæ à Græcis Doricis conditæ, ante Veneris templum (quæ ibi colitur) incidit, ibiq; à piscatore Piceno quodam captus, magnitudine suâ totos retium sinus implebat. Nimirum qui rhombus nihilo minor in retibus captus hærebat, quam vastissimi illi rhombi, qui in Mæotide palude brumæ tempore glacie operiuntur, & sub veris tempus cum Mæotidis paludis glacies solis calore liquefacta est, ad Ponti Euxini perpetuo fluentis & torrentis ostia effunduntur, quiq; suâ mole desides ac tardi, & longo totius hiemis frigore pingues facti sunt.

Hunc monstrosæ magnitudinis piscem cymbæ atq; retis magister piscator statim Domitiano Pontifici maximo inter Minervæ Sacerdotes Albanos destinat, & designat. Etenim quis piscatorum vitæ suæ tam esset prodigus, ut talem piscem alijs venalem proponere, & quis etjam privatorum talem emere auderet? Cum nō solum urbs Roma, omnesq; in illo anguli, verum etjam maris littora clancularijs delatoribus plena essent, qui tale factum apud imperatorem deferrent; quin etjam inquisitores ac præfecti littoris, hinc inde in littore dispersi protinus cum misero & pauperculo piscatore actionem essent instituturi, eumq; reum agerent, etjam furti. Quippe qui certo essent adfirmaturi, hunc piscem è piscinâ imperatoris aufugisse, & suâ enormitate vivaria Cæsaris depastum, inq; minores pisces grassatum fuisse, jure ad veterem suum dominum Imperatorem Domitianum reverti debere. Talibus enim calumnijs fisci caussas agunt Romæ imperatoris delato-

latores. Atque adeo si Palfurio Suræ, si armillato, & alijs delatoribus fidem habere voluerimus, quicquid in universo mari pulcrum & speciosum est piscium, ubicunq; etjam illud natet, ad fiscum & mensam imperatoriam pertinet. Quocirca piscis ille quia nec alijs tutò vendi, nec retineri tutò potest, ne fortè pereat & computrescat, properè imperatori à piscatore est offerendus. Qui piscator, etsi jam sub finem Autumni morbiferi pruinosa & gelida hiems succederet (quo tempore ægroti febrim quartanam, quæ illo tempore vel diuturna, vel lethalis esse consuevit, extimescere solent) & tristis atq; inamœna frigore & glacie stridebat, suoq; frigore piscem à putredine tutum & recentem conservaret; tamen non aliter properabat, quam si sub æstatem auster ventus omnia corrumpens, flaret, eumq; putredinis metu urgeret. Cum verò jam lacus Albanos superásset, quo loco Alba quamvis olim à Tullo Hostilio diruta, tamen in hodiernum adhuc tempus per Vestales virgines ignem Trojanum conservat, & adhuc Vestam colit, quamvis minorem, quàm illa est, quam Tullus in urbem transtulit: turba hominum circumfluens, & rhombi enormem magnitudinem admirans intranti piscatori aliquandiu obstitit & impedimento fuit. Cum verò postea cederet, & piscatori locum daret, per januas & valvas apertas facile ad Imperatorem intromissus fuit, & piscator quidem, cum obsonijs suis ad imperatorem intromittebatur; Senatores verò & Consiliarij excluſi foris exspectabant.

Continuo

Continuò ad Atridem, ad Domitianum, inquam, itur, eiq; de piscatoris adventu significatur. Ibi tunc Piscator Picens, per fædam turpemq; adulationem ad Imperatorem incipit: Accipe ô Domine, Deusq; noster Domitiane, insignis piscis præclarum munus, quod majus est, quàm ut in privato foco coqui, inq; cibum apponi debeat. Hic verò dies tanquam natalis genio indulgendus, cum summâ animi voluptate à te celebrabitur. Quin tu accelera ventrem tuum evacuare, eumq; hisce delitijs excipiendis præparare, & rhombum in tua sæcula Deum providentiâ, ut à te comederetur, conservatum consume, qui nimirum te imperante capi voluit, & sponte suâ in retia pervenit. Quid autem apertiùs & manifestiùs hâc tam fædâ, tam frigida piscatoris adulatione? & tamen Domitianus Imperator adeo stolidus erat, ut hâc tam frigidâ assentatione ipsi cristæ insurgerent, animusq; superbiret ac intumesceret. Domitianus enim, & alij imperatores, qui nimirum Domini & Dij volunt appellari, &, si Dijs placet, Divis habent æqualem potentiam, adulatoribus omnia grandia & maxima turpissimè de se per assentationem mentientibus, omnia tamen possunt credere, quippe qui nihil tam grande & sublime dici posse autumant, quod jure atq; meritò de se dici nequeat.

Verum rhombus ille, de quo dixi, tam enormis erat magnitudinis, & nullius patinæ magnitudo & mensura ipsi capiendo sufficeret. Ob id Senatores, & consiliarij nobilissimi & potentissimi (quos Domitianus

tianus ex ingenitâ sibi adversus nobiles malivolentiâ oderat) in consilium vocantur, ut hâc de re deliberent; qui omnes metu exsangues & pallidi incedebant, inq; illorum facie pallor ex metu & anxietate, qui magnas illas & miseras summorum regum & imperatorum amicitias comitari solet, satis apparebat. Hic tum, cum præco ex Liburniâ servus, qui admissionibus præerat, clamaret: O Senatores, festinate ad concilium, Imperator jam deliberaturus in solio suo sedit; Omnium primus Pegasus, ne sævum tyrannum moraretur abolla tunicâ properè rapta atq; circumjectâ velociter festinabat, paullo ante urbis Romæ præfectus constitutus. Ab quid dixi præfectus? imo villicus in urbe non amplius liberâ, sed tyranni metu & sævitia perculsâ & obstupefactâ, inq; miserabilem servitutem redactâ. Anne enim aliud tunc præfecti erant, quam villici? quo quidem tempore omnes dignitates evanuerant, nec licebat cuiquam officium suum rectè & dignè administrare. Senatorum verò citra controversiam optimus, & legum interpres sanctissimus & integerrimus erat hic Pegasus, qui licet, ut dixi, vir probus esset, tamen diris illis sub Domitiano temporibus rigorem juris in improbos exercere non poterat, sed omnia debili & inermi justitiâ, ut fiebant, tractanda, & permittenda censebat. Aderat etjam Vibius Crispus Placentinus senex jucundus, facundus, atq; venerabilis; qui qualis moribus erat, talis etjam erat eloquentiâ, utroq; autem erat dulcis & amabilis, ingenio miti atq; placido, & quo Crispo nemo utilior

Consi-

Consiliarius Imperatori maria terras populos, & totum adeo mundum regenti adjungi posset; Si modo illi sub tam sævâ generis humani clade atq; peste, sub truculento, inquam, & immani tyranno Domitiano, crudelitatem arguere & condemnare, & honestum atq; salutare consilium adferre licuisset. Quid autem formidabilius & truculentius esse potest, quàm auris tyranni honestæ admonitionis, & salutaris consilij impatiens? Certè Domitianus adversus talia longè omnium erat asperrimus. Cum quo si amicus non omnia grata & jucunda loquatur, sed ejus aures etjam in levibus & nugacibus offendat, ut si dicat de aëris varietate, de pluvijs, vel de nimio æstatis calore, de hyeme asperrima, de vere ingrato & parum amæno; continuo se in mortis pericula apud crudelem Cæsarem præcipitaret. Ille igitur Crispus diris illis temporibus tempori inservire didicerat, & nunquam contra impetuosum flumen natitabat, nunquam quidquam fecit contra rapidam & violentam voluntatem Cæsaris, multa simulabat & dissimulabat. Nimirum quo tempore nemo Romanorum civium erat, qui ob imperatoris sævitiam, & delatorum copiam liberè animi sui sententiam posset dicere, & vitam suam virtuti & veritati tanquam debitum impendere, cum veritate & libertate, ad quam omnes nati sumus vitam suam transigere. Crispus igitur, qui tempori inservire didicerat, hîc prudentiâ & facilitate suâ tanquam artibus atq; armis aulicis multos annos natus & senex octuaginta annorum factus erat, & satis tutus

ab omni

ab omni periculo vixerat, idq; in illâ aulâ Domitiani, tam crudeli & formidabili. Proximè post hunc Crispū ad Concilium properabat ejusdem ævi cum Crispo & ipse octuagenarius Acilius Glabrio, vir prudentiâ & fide singulari, cum filio Domitio eximio & præclaro juvene, indigno qui tam sævâ & crudeli morte postmodum à Domitiano è medio tolleretur. Et quæ mors jam tum illo ipso, quo ad concilium properabat, tempore Imperatoris Domitiani gladijs ipsi destinata atq; designata erat. Quippe illud in Romanâ Repub. & Imperatorum aulis à multis jam retro sæculis usitatū est, ut nobiles maturâ ætate è medio tollātur, & rarissimū prorsus & prodigij loco sit si quis nobilis ad senilem ætatem perveniat: Quo fit ut ego certè terræ filius, & vilis Gigantū frater obscurius & ignobilis esse mâlim, & ab ōni periculo tutus, quàm in summâ nobilitate ac potentiâ tot vitæ periculis exponi, quæ nullâ arte possis evitare. Hic sanè Domitius, prudentissimus juvenis, jam dudum animadverterat virtutem atq; fortitudinem suam Domitiano formidolosam esse, ob id, ut omne odium & invidiam Cæsaris, omnemq; suspicionem à se amoliretur, imprudentem & stolidum se esse simulabat, vitæq; prodigum, in theatrum Albanum descendebat, ibiq; cum feris gladio armatus cominus concertabat, & leones Africanos immanes belluas conficiebat, idq; nudus ut vitæ suæ prodigus, stolidus, & impudens videretur. Verum hæ artes & versutiæ nihil prorsus ipsi profuerunt. Animadvertebat n. Imperator hoc simulatione fieri. Quis n. Imperatorū adeo hoc tempore fatuus est, ut hasce nobiliū artes, quib. pericula & invidiā evitare studēt, ignoret? Et

Et quis Decij Iunij Bruti (qui prisco ævo insaniam simulare poterat, & tyranni Tarquinij Superbi crudelitatem effugere) acutum ingenij inventum vetustis temporibus admirabile, hoc nostro sæculo demiraretur? Imperatores hoc nostro tempore longè callidiores & versutiores sunt, quàm Romani reges intonsi & barbati, sub conditæ urbis initium, sæculo rudi atq; simplici, quo facile erat simplicibus regibus imposturam facere, atq; imponere. Hunc Domitium nobilissimum juvenem proximè sequebatur Rubrius Gallus, qui licet nobilis non esset, quibus potissimum Domitianus infestus erat, vultu tamen melior non erat, quàm Domitius, sed mortis metu æquò pallidius & exsanguis, eò quod Tibiam in juventute constuprasset, & ob hanc veterem culpam atq; offensam obscænum atq; tacendum facinus, sibi metuebat. Qui licet jam olim hoc tanto scelere se contaminasset, improbus tamen Hypocrita erat, & prorsus similis Neroni Cinædo illi & Pathico, qui muliebria paliebatur, & in alios tamen molles & effæminatos Satyram scribebat. Aderat etjam ventrosus ille & pinguis aqualiculus Curtius Montanus, beluo inexplebilis, præ nimia pinguedine tardè admodum incedens, Et Crispinus noster precioßis orientalibus unguentis inunctus, largiter sudans, & tantum redolens, quantum vix duo nobilium funera largis unguentis & aromatibus condita & delibuta redolerent. Aderat etjam Pompejus Ruffus crudelissimus delator, & Crispino adhuc sævior, nimirum qui levi delatione per susurrum clanculum in aurem Domitiani

tiani immißâ optimo cuiq; gulam incidere, & jugulare poterat: Veniebat & Cornelius Fuscus, à Domitiani tyrannide satis tutus, quippe qui rapacibus illis & crudelibus Dacis tanquam volturibus cadaver suum servabat, contra quos paullo post cum exercitu missus trucidatus est, quippe belli imperitus, qui nunquam in acie fuerat, sed in marmoreâ suâ villâ inter delitias & ocium, quomodo prælia cum Dacis committenda essent, meditatus erat. Accessit etjam callidus ille & prudens adulator Fabritius Vejento, cum Catullo Messalino delatore mortifero atq; atroce, qui cum cæcus esset amabat tamen, & quidem perditè amabat puellam nunquam à se visam. Qui profecto quamvis, hoc monstrosißimo sæculo ob monstrorum frequentiam monstra admiranda non sint, nostro tamen etjam hoc tempore monstrum satis conspicuum & notabile fuit: Quid enim monstrosius fingi potuit hoc Catullo, qui erat cæcus, amator, adulator, & dirus consiliarius, imò delator Imperatoris à ponte assumtus, ubi cæci & mutilato corpore mendicant. At qui profecto à ponte & mendicitate liberandus non erat, sed graviori calamitate adfligendus, & extra urbem ejiciendus, ut ibi ab illis qui curru per Aricinum clivum vehuntur stipem emendicet, & amator cum sit, non puellam quandam exosculetur, sed currui è clivo Aricino descendenti blanda oscula imprimat, ut hâc humilitate suâ alios ad misericordiam permoveat. Porro nemo inter omnes consiliarios tanto opere piscem cum stupore admirabatur, atq; hic Catullus. Plurima enim in ejus

laudem & commendationem dicebat, &, quod rideas, facie ad latus conversus erat, piscis vero ipsi jacebat ad dexteram. Eodem modo turpiter pariter & impudenter in Imperatoris gratiam in Theatro gladiatorem Cilicem robustissimum, ejusq; pugnas & ictus in adversarium, & pegma ligneam illam molem, quæ occultâ arte pueros sibi impositos subito in sublime insurgens, in velaria theatris ad arcendum solem & pluviam obtenta, cum spectatorum admiratione projecit, laudare solebat, quæ tamen nunquam viderat. Et hanc tamen adeo fædam, & viro bono intolerabilem adulationem Domitianus ferre poterat. Fabricius autem Vejento huic cæco Catullo in adulando, & pisce laudando nihil concedit: Imò tanquam furore Bellonæ deæ correptus, & divino numine adflatus insuper divinare incipit, &, ô Imperator, inquit, maximum omen atq; indicium habes magni & clari triumphi, quem de devictis hostibus ages, magnum aliquem regem capies, aut Arviragum Britanniæ regem per duces tuos superatum è Britannico regno dejicies, & imperio suo deturbabis. Quia enim bellua hæc quæ capta est, peregrina est, peregrinum etjam regem capies; Vides quomodo spinæ & crista ipsi in tergo tanquam sudes & hastilia erecta horreant; eodem modeo hosti tuo in tergo hastilia infigentur. Deniq; nihil intermisit Vejento, quod ad laudem & commendationem hujus piscis facere posset, unico hoc excepto, quod

quod in quo littore, & quot annos natus esset memorare, & recensere non potuerit. Hic tunc Domitianus Imperator; quidnam igitur censetis, inquit, est ne in frusta concidendus, & ita coquendus? Statim excipit Curtius Montanus: Absit, ô Imperator, hoc dedecus à tam nobili pisce, ut concidatur. Imò verò vasta quædam & spaciosa patina conficiatur, quæ tenuem quidem crassitiem habeat, sed ambitu suo magnam capacitatem includat, & comprehendat. Et huic patinæ excellens aliquis & insignis artifex figulus, qui tale opus cito posit absolvere, properè conficiendæ adhibendus est. Vos ô famuli quidquid ad hanc patinam conficiendam requiritur argillam cum rota figulinâ properè adferte. Verum, ô Cæsar, ex hoc tempore imposterum figuli tecum in castris tuis versabuntur, ut illos in consimili casu statim in promtu habeas.

Hæc sententia Curtij Montanij tanto viro epuloni & aqualiculo pingui atq; crasso conveniens, potior fuit, & ab omnibus approbata. Diu enim ille in multorum Imperatorum aulis versatus erat, & superiorum imperatorum luxurias & delitias perdidicerat, & commissationibus Neronis interfuerat, quas ille à mediâ die ad noctem mediam usq; solebat protrahere; callebat etiam luxuriæ fomenta, quâ ratione venter vino ardenti incensus cruditate laborans nauseabundus ad novam aliam exquisitam famem rursus irritari posset.

Nostrâ profecto tempestate in ciborum delectu nemo fuit peritior, nulli in ferculis condiendis major peritia & experientia. Ille quippe, quod demireris, si leviter tantum ostreâ gustasset, statim ex gustu divinare poterat, ubi capta essent, an Circeis in Campaniâ, an ad scopulum Lucrinum in Bajano sinu, an vero prope Britanniæ urbem Rutupinum: Et cum Echinum piscem semel tantum adspexisset, continuò littus ejus, ubi captus erat, indicabat, His jam peractis surgunt consiliarij, & finito concilio exire jubentur; quos nimirum Domitianus magnus ille Dux de rhombo pisce coquendo deliberaturus in Albanam arcem ad se præcipites violenter festinare jusserat, & quidem metu perterritos, attonitos & obstupefactos, tanquam de summis imperio periculis imminentibus concilium habiturus, & de crudelib. Cattis, vel trucibus atq; immanibus Sicambris Germaniæ populis, in imperium Romanum irrumpentibus, reprimendis dicturus fuisset: vel tanquam ex diversis terræ partibus anxia quædam Epistola adversi aliquid denuncians per curjores velocissimos tanquam avium pennis præcipiti volatu allata esset. Et optandum me hercule esset, Domitianum in hujusmodi nugis (quale hoc de rhombo pisce habitum concilium nugacissimum) totum imperij, vel potius sævitiæ & crudelitatis suæ tempus attrivisse, sic enim tot illustribus & præclaris nobilissimisq; viris, quos ille impune, & nullo plane vindice atq; ultore è medio sustulit, Respublica Romana orbata non fuisset. Verum ille Domitianus cùm totâ nobilitate exstinctâ in vi-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0086
DFG

in viles operarios & cerdones sævitiam exercere, & gladium stringere tandem inciperet, ab ijsdem septem vulneribus contrucidatus dignum crudelitate suâ supplicium invenit. Hoc enim, quod extinctis nobilibus in ignobiles & plebem sævire inciperet, exitio tandem fuit crudeli illi monstro, postquam longo tempore Ælij Lamij, aliorum nobilissimorum cæde & sanguine sese polluisset & contaminâsset.

In Satyram V.

ECPHRASIS.

SIccine verò turpis illius atq; inhonesti tui propositi te nondum pudet! Sed eadem adhuc mens & sententia tibi est, ut in parasitandi proposito perseverare, & in alienâ mensâ & quadrâ cibum capere, & victitare cupias, & loco magnæ felicitatis, & summi boni habeas? Itane vero tam intolerabilia opprobria, tam insignes injurias, idq; in privati civis Romani mensâ perferre, & sustinere potes, quæ ne vilissimi quidem scurræ Sarmentus in mensâ Cæsaris Augusti iniquâ & contumeliosâ, & Apitius Galbâ apud Tiberium Imperatorem unquam pertulisset? Quamvis nihil dubitem ob has tam insignes contumelias jam te tandem hujus propositi pigere atq; pœnitere; Adeo ut tibi hoc ipsum neganti, nec juranti quidem, fidem non sim habiturus.

Scio enim naturam humanam paucis contentam esse, & ventrem cujusq; rem esse admodum temperantem atq; frugalem, paucisq; dimitti; si modo ipsi des quod debes, non quod optas. Ponamus tamen parvum illud, quo venter tuus acquiescit, tibi defecisse, aut deesse: Anne ob id Parasitum agere debes? Nusquamné locus ubi mendices potius? Nullibi sub abrupto quodam saxo caverna vacat, in quâ mendicus cubans à prætereuntibus stipem emendices? nusquamne pons est in urbe, & mutilatarum tegetum parvæ lacinia & centones, quibus mendicorum more tegaris? Longè profecto satius, te mendicum potius liberrimè vivere, quàm Parasitum serviliter & miserè. Tantumne apud te valet injuriosa illa & contumeliosa cæna apud patronum tuam? tantine tibi est famelica illa & jejuna tractatio apud divitem, ut propter illam tantas injurias & contumelias, tantaq; mala potius perpeti cupias, quàm mendicare? Cum ergo apud patronum nihilo lautiùs tracteris, quàm si mendicus essis, Et siquidem, sive mendicum, sive adulatorem agas, utrobiq; miserè, & famelicè tibi vivendum est, quin longè rectiùs & honestiùs illic in ponte, vel sub crepidine aliquâ more mendicantium miser esse, frigore horrere, & malè vestiri, ibiq; sordidum è farre panē, qualis canibus objici solet, devorare postulas & præoptas, quàm idem in mensa divitum turpiter adulando facere, & perpeti. Si minus hæc, quæ dico vera credis, age penitius aliquanto turpe pariter & miserū illud vitæ genus, quod tu sectaris, introspiciem9. Primo omniū

loco

loco hoc ponendum est, quod te merito à divitum cænâ consectandâ deterruerit, quod, quando patronus tuus te aliquando ad cænam vocat, & secum discumbere & comedere jubet; Existimat ille, te ob multiplicia tua vetera officia solidam & plenam mercedem recipere, adeo ut à se nihil amplius tibi deberi censeat. Nempe ex magnâ illâ, quàm cum divite patrono habes, amicitiâ hunc fructum capis, quod interdum, quamvis rarissimè, cibum in ejus domo capis; Et hunc cibum mercedis loco tibi datū reputat. Ad quem cibū quamvis rarissimè inviteris, tamen illum mercedis loco tibi imputat. Ergo si domino tuo & patrono te clientem veterem diu præteritum & neglectum post duos menses, aut quadrantem anni aliquando tandem ad cænam invitare, suæq; mensæ adhibere libuit (quod tamen nō facit, ut tibi benefaciat, sed ut tantum culcitrā triclinarem certo convivarum numero impleat, ne locus quispiā in illâ vacuus relinquatur.) Invitat te ad cænam, & inquit: Hodie apud me in cænâ unà erimus. En tibi votorum tuorum summā, & quasi summum tuū Bonum, quod tanto tempore secutō, jam tandem adsecutus es. Quid ulteriùs vis tibi, aut quid quæris? Nimirum habet jam Trebius quando ad cænam vocatus est, propositi sui finem, & quasi summum bonum, propter quod mane, imo mediâ nocte somnum abrumpere, & calceorum, vestium q; ligulas dimittere & negligere, & negligenter vestibus circumjectis ad patronum salutandum properè currere & festinare debet, valde timens & sollicitus, ne inter salutantes ultimus sit, & omnis multitudo clientum competitorum tuorū, salutatorum, in ordine circumstantes

omnes patronum tuum salutaverint, & circulum suum salutando jam quasi absolverint, ne tu tardiùs adveniens inter salutantes ultimus sis. Idq; vel summo mane cum sidera dubia sunt. & in crepusculo occultari incipiunt; vel etjam mediâ nocte, quo tempore frigida illa & septentrionalia plaustra vel ursa major, Arctophylacis polo vicini & tardè se moventis, se in gyrum circumagere observatur. Atqui pro assiduis & quotidianis tuis officijs post unum & alterum mensem ad cænam à patrono tuo vocatus mercedem officiorum tuorum consequeris. At videamus qualis illa cæna sit, ad quam vocaris. Principio vinum crassum, fæculentum, & vilissimum bibis, & tam spissum, ut humida lana, quæ omnem sine discrimine humorem imbibit, illud pati & admittere non posset, etjam tam vile, ut ne ad lanas quidem tingendas adhiberi possit; quod convivarum, qui illud bibunt, mentem ad insaniam adigit, ut furiosos Corybantas ex illis factos judicare possis, qui inter se rixari incipiunt, & jurgijs, altercationibusq; proludium futuri certaminis faciunt. Non diu post malè acceptus & verberatus ab illo, in quem convitia dixeras, sanctus & vulneratus, pocula in adversarium rursus proijcis, & cruentato mantili vulnera tibi inflixa rursus deterges; quod sit quoties inter vos clientes & Parasitos, & inter libertos patroni vestri cum poculis Saguntinis fictilibus pugna & contentio exorta cum summo animi fervore committitur. Contra verò patronus vester Virro, interea, dum vos pessimam vappam bibitis bibit vi-

bit vinum optimum & vetustißimum, quod priscis temporibus provenit, inq; dolia diffusum est, cum Consules adhuc intonsi & barbati essent, & in poculo suo vinum habet, quod ex optimis uvis expressum est, eo tempore, cum bellū sociale gereretur inter Iulium Cæsarem & M. Philippum; cujus vini, amico clienti suo cardiaco & ægroto, si illum etiam à morte liberare posset, ne cyathum quidem, & exiguam quatuor ligularum mensuram, concederet. Et tale quidem vetustißimum vinum hodie potat: Cras verò vinum, quod in Albanis aut Setinis montibus provenit optimum & adeo vetustum bibet, ut ejus vetustißima dolia situ fuligine & mucore copioso obducta, titulum & inscriptionem suam deleverint, ut quot annorum sit, & in quibus montibus provenerit amplius cognosci non possit; & quale optimum & antiquißimum vinum Thraseas Pætus, & Helvidius Priscus libertatis amatores coronis vincti læti atq; hilares bibere solebant, cum esset dies natalis D. Iunij Bruti, qui reges Româ ejecerat, & M. Bruti, qui cum Cassio & alijs I. Cæsarem interemerat; quos tanquam libertatis amatores plurimi faciebant. Porro rex Vester Virro capaces phialas ex crassis electri & succini crustis, quæ ex Heliadum Phaetontis sororum lacrumis nata creduntur, excavatas, & inæqualibus & sexangulis berillis, alijsq; preciosis gemmis distinctas. Tibi verò talia ex auro pocula preciosis lapillis distincta non committuntur, vel si quando tibi dantur, statim aliquis observator quasi immotus ad te adfixus tibi adstat, qui gemmas poculis

insertas numeret, & aduncos tuos & furtificos ungues, ne quid abradas, accuratè observet. Da autem veniam & ignosce, quod adeò accuratè observeris; nam illic in poculis Berilli, Iaspides, aliaq; præclaræ gemmæ laudantur. Nam Virro vester, ut nunc plurimi alij Romani gemmas à digitis atq; annulis ad pocula luxuriæ instrumenta exornanda transfert, quas Æneas Romani sanguinis auctor, qui Hiarbæ Zelotypo & invido apud Elysiam prælatus fuit, &, cui ut est apud Virgilium :

-- Stellatus Iaspide fulvâ Ensis erat --

in vaginæ fronte in capulo sive manubrio ensis ponere solebat, suaq; arma illis exornare. Tu vero clienS calicem, qui à Beneventano sutore Vatinius dicitur, & quatuor deformes ansas tanquam rostra vel nasos habet, jamq; quassatus & vitro rupto fractus pro sulphuratis ramentis mutari postulat, bibendo ex hauries & exsiccabis. Si stomachus domini tui nimiâ repletione cibi & potus incaluit & fervet, & refrigerari desiderat, optima decocta aqua ipsi defertur, quæ Geticis nivibus in altissimis Scythiæ montibus frigidior est : vos verò aquam crudam & malam bibitis. Conquerebar paullo ante eadem vina vobis & domino non apponi. Imò verò vos etjam viliorẽ aquam bibitis. Quid dicam de pincernis? Pocillator quidam ex Getuliâ sive Aethiopiâ aut Mauritaniâ nigris & osseis manibus, & cui mediâ nocte, dum per sepulcra Latinæ & Flaminiæ viæ clivosæ & inæqualis veheris, non libenter occurreres, quippe quem osseum

spectrum

spectrum existimares pocula tibi dabit, atq; infundet. At vero ante ipsum dominum Virronem tuum flos Asiæ puerorum stabit, & ministrabit, qui majore precio emtus fuit, quàm fuerunt Tulli Hostilij, & pugnacis Ancij Martij, & omnium adeo, ne te diu morer, septem regum Romanorum opes atq; facultates, frivolæ atq; nugaces. Quod cum ita sit, tu cum sities, & bibere voles ad pincernam tuum formosulum puellum tanquam Ganymedem, imò ex Getuliá nigrum & deformem respice: Non autem ad formosissimum domini tui puerum; Ille enim tot millibus H. S. emtus & comparatus, pauperibus vobis clientibus pocula miscere & ministrare non vult. Quippe ille ob eximiam formam, & puerilem ætatem non immeritò superbus est, & dignus, qui jure te aliosq; clientes pauperes alto supercilio contemnat. Et quando ille formosus puer, ut tibi ministret, ad te pervenit? nunquam. Et quando, si ipsum voces, tibi præsto est, ut hyeme calidam, æstate frigidam aquam tibi porrigat? Nunquam. Quippe ille ægrè fert, si veteri clienti, qui jam longo servitio contemtum sibi contraxerit, servire jubeatur, Et quod tu, quem indigniorem censet à se tanquam digniore aliquid tibi ministrari poscis, & quod se stante & ministrante, cum domino ad mensam recumbas. Maxima quæq; domus & familia servis superbis & fastu tumentibus plena est. Ecce aliud incommodum de pane, quem ibi comedis.

Alius quis-

Alius quispiam ex superbis illis servis, quanto murmure & indignatione panem tibi objcit, longâ vetustate induratum, quem cum magnâ difficultate vix possis frangere, panis solidi & conglutinati fragmenta jam mucida, quæ ob duritiem morsum non admittant, sed genuinos molares dentes firmissimos suâ duritie agitent, delassent, & fatigent. Contra verò tener & niveus panis, & è molli siligine coctus domino vestro Virroni servatur & apponitur. Tu vero dextram illam tuam ad illum non extendas, sed Artoptam panis inspectorem cum singulari reverentiâ præsentem reformida, & cave ne illum quoquo modo contemnas. Quod si improbulus & impudentior esse velis, & domini tui candidiorem panem etjam velis attingere; illic Artopta, panis observator, supra te adstat, qui candidum illum domini panem, quem tetigisti, te rursus cogat deponere, hisq; contumeliosis verbis te compellat: O importune, audax, & impudens conviva: Visne tu consuetis panibus satiari, & tui panis, quo cibari soles, colorem novisse; quin impudenter etjam candidum domini panem attingas? Nonne hîc merito irâ & indignatione plenus in hæc verba prorumperes: Scilicet hæc illa cæna est, quam tanto labore quæsivi: Hoc præmium est officiorum meorum, quod toties mediâ nocte rupto somno, & relictâ conjuge per pluvias, & tempestates, per objectos colles, & montes, & Esquilias ventis expositas & frigidas, cum vernus aër ventosus & pluviosus sævâ grandine fremeret & horreret, & exterior villosa vestis pænula multâ pluviâ madida

diffluc-

diſſlueret & ſtillaret, ad hunc patronum ſalutandum currerem & feſtinarem. Aſpice porro, ô Trebi, quam magno & amplo pectore ſquilla, delicatus ille piſcis lancem vas eſcarium diſtendat & impleat, quâ domino Virroni in cibum adfertur & apponitur, & quibus aſparagis & delicatiſſimis condimentis illa undiq; ſepta & circundata ſit, quam longa caudâ ad menſam allata in convivas deorſum quaſi adſpiciat, cum ſuperbè & altè ad menſam in altum elevata, excelſi miniſtri manibus ſublata adfertur & apponitur. Tibi vero viliſſimi ſaporis cancer marinus cammarus, conſtrictus, rarus, & famelicus cui dimidium ovum condimenti loco additum, in exiguâ patella apponitur, feralis & famelica cœna & revera talis, qualis mortuis dari ſolet, quâ defunctorum manes placantur. Ipſe Virro piſcem ſuum perfundit oleo, quod Venafri in monte Campaniæ provenit, optimo. At hic caulis vetuſtate languens, pallidus, & flacceſcens, qui tibi miſero oleris loco offertur, viliſſimo oleo conditus eſt, quod maleolens & vile in lucernis adhiberi ſolet, & comburi. Veſtris enim paropſidibus & lancibus illud oleum peſſimum dari ſolet, quod Africani Micipſæ in doliolis è cannis acutis navibus Romam ſubvexerunt, & quo oleo fœtidiſſimo Africani in balneis inungi ſolent, quo tam fœdè redolent, ut Romæ cum Africano, Boccare, vel Numidâ nemo lavare ſuſtineat, & quod ſuâ graveolentiâ Africanos etiam tutos præſtat ab atris & venenatis ſerpentibus, qui teterrimum olei odorem ſuſtinere non poſſunt. Porro domino veſtro Virroni mullus piſcis

nobi-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0095
DFG

nobilißimi in cibum datur, quem Corsica insula Tyrrheni maris, vel rupes juxta Tauromenum Siciliæ opidum, vel aliæ longinquæ regiones produxerunt, & Romam miserunt. Quoniam enim omne vicinum Tyrrhenum mare, & nostrum Romæ proximum expiscatum & piscibus evacuatum est, jamq; piscibus deficit, dum Romanorum gula & luxuria immensa sævit, & vehementißima est, dum quilibet piscator, qui in macello pisces vendit, proximum Tyrrhenum mare aßiduis retibus penitus scrutatur & piscibus evacuat, & piscem in mari Tyrrheno proximo non patitur crescere: fit ut Sicilia aliæq; extra Italiam provinciæ, focum nobis cogantur instruere, & nostræ culinæ obsonia præbere, & ex illis nobilißimi pisces petantur & sumantur; quos Lænas captator orborum magno precio emat, & Aureliæ orbæ ac diviti matronæ mittat; Aurelia vero præ nimiâ obsoniorum copiâ ab heredipetis sibi missorum, postea ne corumpantur vendat, & rursus distrahat. Virroni vestro muræna in cibum datur, maxima & procera, in magnis delitijs habita; quæ in medio Siculi maris gurgite, non sine summo periculo capta Romam fuit advecta. Nam dum Auster ventus ille turbulentus non flat, sed in Æolio carcere se continet, ibiq; sedet, & pluvius atq; aquosus pennas suas madidas in carcere rursus siccat, ubi diu plumbi; tum temerarij piscatores cum linis & retibus suis etjam mediam Charibdin formidabilem illam voraginem Siculi maris contemnunt, & illam ingrediuntur, pisces q; ibi capiunt. Vos verò miseri clientes lo-

tes loco murenæ vilißimas anguillas comeditis, quæ ex longis colubris natæ, vel cum ipsis coire creduntur; vel pisces in Tiberi captos, qui glacie & frigore maculas contraxerunt, & in ripis Tiberis vernaliter lascivire consueverunt, vilißimos, quique ex latrinarum sordibus in Tibrim defluentibus pingues redditi sunt, & per subterraneos cloacarum meatus in medias cryptas Suburræ regionis penitus ingredi soliti fuerunt. Quod si ego vestro loco sim; quod abominor, his verbis patronum meum Virronem compellarem, si facilem ad audiendum aurem mihi præberet. Nemo clientum, ó Virro, ingentia illa munera à te requirit, quæ Seneca liberalis, & Piso bonus, & Cotta munificus modicis amicis tenuioris fortunæ clientibus solebat mittere & largiri. Prisci enim proavorum nostrorum tempore existimabant gloriam ex munificentia & liberalitate in tenuiores profectam longe majorem esse & præstantiorem, quàm quæ ex titulis honoribus & magistratibus provenit. Hoc solummodo miseri clientes à te poscimus & contendimus, ut comiter & civiliter communibus epulis sine injuriâ clientum nobiscum cænes. Hoc tantum facito, tibique exorari sine, in reliquis pro tuo arbitratu ages atque vives, ut jam multi cives Romani, tibi dives & luxuriosus, amicis tuis clientibus avarus & sordidus. Quid de alijs dicam? Anserum delicatißima intestina & exta, & altilis gallina vel columba anserum extis, delicijs suis par & æqualis, & ingens quidam

apex

Aper, qui cum apro Calidonio à flavo illo Meleagro occiso comparari possit coctus, ante divitem patronum tuum Virronem appositus fumat. Post hasce epulas tubera delicatissima raduntur & in escam præparantur, præsertim si vernum tempus sit, quo tubera copiosè solent crescere, & si tonitrua excitata fuerint, quæ secundas mensas, & cœnas tuberibus augebunt, quippe quibus excitatis tubera copiosè proveniunt. Quo nomine luxuriosi quidam tonitrua exoptare solent, ut Allidius & alij, qui dicere consueverunt: O Libye, retine tibi tantum tuum frumentum, quin etjam boves disjunge, nihil ares, occes, seras, & metas, dummodo nobis tubera mittas.

Interea, ut nihil non sit, ob quod indigneris, structorem vides, qui hæc delicatissima domino tuo apposita fercula singulari corporis motu quasi saltans, & decorâ manuum gesticulatione, & elegantiâ cultello agiliter versato summo artificio incidit, dominoq; vestro apponit; donec omnia illa artis diribitoriæ præcepta, quæ à magistro didicit, persequatur, ne quid illorum intermittat. Nam magnum discrimen est inter dissectionem gallinæ & leporis, & accuratè observandum est, quo gestu quidq; incidatur. Huc accedit illud, quod nulla dicendi, nedum compotandi, aut familiariùs convivandi libertas cum domino tuo tibi relinquatur. Quod si tu vel hiscere & mutire tantum contra hæc tentaveris, aut liberiùs ali quid loqui, tanquam qui liber civis Romanus tria nomina habeas, more ingenuorum; tum (non aliter atq; Cacus Vulcani

filius

filius ab Herculē quod boves ejus furto abstuliſſet, occiſus, extra antrum pedibus protrahebatur) pedibus duceris è triclinio, & foras protraheris. Nimirum ſuperbè te faſtidit, nihil curat patronus ille tuus. Amabo enim, quando unquam Virro tibi propinat aut poculū porrigit, è quo ipſe bibit? Quando etjam ex illo poculo bibit, è quo tu bibiſti, aut quod tu labijs tuis attigeris? Quis autem è vobis clientibus adeo temerarius & audax eſt, qui quidē ſuâ ſe audaciâ perderet, ut dicat regi ſuo Virroni; Bibe. Plurima profecto alia ſunt quæ clientes homines pauperes, quorum veſtis pallium q; pertuſum & detritum eſt, loqui apud patronos ſuos liberè non poſſunt. Idq; ob nullam aliam cauſſam, quàm quod pauperes ſunt. Quod ſi quis Deus, aut homo quispiam magnus & munificus, & ſatis melior, quæ te pauperem voluerunt, te ex paupere repente divitem faceret, & quadringenta Seſtertia cenſum equeſtrem tibi donaret. O Trebi, qui jam es homuncio vilis & contemtus apud Virronem patronum tuum; quantus & quàm magnus tu continuò ex nihilo evaderes? & quantus amicus Virronis patroni tui, cujus jam vilis ac minutus es aſſecla. Tum verò Virro ſtructorem ſuum compellaret: Da de hoc delicatiore ferculo Trebio: Appone hæc Trebio, ut comedat. Visne, ô frater Trebi, aliquid de delicatis illis ilibus, & piſcium infeſtinis? O nummi! hunc honorem Virro Vobis exhibet non Trebio: Vos eſtis fratres, non ipſe Trebius. Atq; ita ſi dives eſſes, in magno continuo precio haberere, & frater apellarere. In longe tamen adhuc majori precio haberis, & non frater ſolum domini tui, ſed etiam do-

minus & patronus vocaberis, si insuper orbus fueris, nullumq; parvulum Æneam, ut Dido apud Virgilium loquitur, vel filium hæredem, neq; filium, neq; filiam, quæ patri adhuc dulcior est, quàm filius, in aulâ vel domo tuâ luscitantem habueris. Quippe uxor sterilis nullos liberos procreans jucundum & charum admodum amicum facit ipsis captatoribus, illumq; validè illis conciliat. Veruntamen quamvis orbus non sis, sed liberos habeas, si modo dives, gratus tamen cuicunq; futurus es. Atq; adeo licet uxor tua Mygale vel tres filios uno partu tibi pariat inq; sinum patris simul infundat: ipse Virro loquaci garrulitate strepituq; puerorum tuorũ non offendetur, quin insuper vestimentum pectoris viridis coloris, qua puer delectetur per famulum adferri curabit, & avellanas nuces & numulum, quem rogavit puer, & alia dono ipsi dabit, quoties filius tuus in suas ædes, & ad mensam tuam, tanquam parasitus, qui alienas mensas ob vilia munuscula sectetur, venerit. Deniq; clientibus vobis fungi vilissimi, illiq; periculosi, de quibus non immerito dubites mortiferi an salutares sint, in cibũ apponentur: Contra verò Virroni patrono vestro boletus delicatissimus, qualem Claudius Imperator edere solebat, antequam comederet venenatum illum ab uxore Agrippinâ sibi datum, quo exstinctus est, & post quem nihil amplius comedebat. Virro sibi & divitibus sibi similibus convivis poma suavissima dare jubebit, ex quibus tu nihil præter odorẽ percipias, qualia juxta Homerum Phæaces, illorumq; Rex Alcinous habuit, apud quos perpetuus autumnus erat, & talium pomorum perennis proventus,

ventus, quæq; cum aureis malis comparari possunt, quæ Hercules ex Atlantis pomario Sororibus Hesperidibus in Africâ occiso pervigili dracone surripuit, & ad Euryſthea detulit. Tu v. cliens ſcabioſa & immatura poma comedes, qualia tyrones levis ſtipendij milites, qui albâ parmâ & galeâ teguntur, inopes & famelici in aggere extra vallum avidè devorant, qui ſub magiſtro jaculari diſcũt, & metuentes, ne flagris vapulent, in capellâ hirſutâ, quam ſcopi loco ſibi propoſitã habẽt, feras jaculari, & haſtam torquêre. Atq; hæc ſcilicet illa cæna eſt, ob quã innumeras moleſtias devorare cogeris, famelica & contumelioſa. Verum quid cauſſæ eſt, quare adeo contumelioſè te patronus tuus tractet? Tu forte putas Virronem ſumtibus parcere, & ob avaritiã nollè quiddam in clientes impendere. Longè erras, qui iſtuc credis. Hoc ſibi propoſitum habet, ut doleas & fleas, ipſiq; jucundiſſimum ſpectaculũ in menſa exhibeas. Nam quæ Comœdia, & quis mimus poteſt eſſe jucundior, quàm gula, quæ præ inediâ plorat? Ergo ſi neſcis, ego tibi dicam, omnia tam contumelioſè in menſa divitis fiunt, ut per amaram irã præ dolore lacrumas effundere & fletu dolorem animi indicare, & compreſſis dentibus frendere cogaris. Ita ſeſe res habet. Interea tu homo liber & quãtivis precij, atq; adeo regis cujusdã conviva tibi videris & places. Ille contra Virro cenſet te eſſe ſuum mancipiũ, nidore ciborũ ſuorũ captum. Nec certè opinione ſua fallitur: nam & ejus & ventris tui mancipium es turpiſſimũ. Quis n. adeo pauper eſt, ſi veræ libertatis vel guttulam habeat, ſive ingenuus ſit, & puer in libertatis indicium bullã auream

Hetruſcis Romæ primùm uſurpatam, geſtaverit, ſive libertinæ conditionis puero ſignũ aliquod de paupere loro in libertatis indiciũ contigerit, ut tales contumelias bis ferat, & ubi ſemel tam injuriosè tractatus ſit, denuo ad eandem cœnam velit reverti? Verum quamvis hæc ita ſint, tamen vos in propoſito veſtro perſeveratis, ſperantes fore, ut lautiùs aliquanto excipiamini. Verum hæc ſpes meliùs cœnandi vos decipit. Dicitis n. inter vos: Ecce Virro jam aliquid de ſuorum ferculorum reliquijs nobis dabit; jam dabit nobis ſemeſum leporem, aut aliquid de apri clunibus, jam gallina aut columba nobis apponetur. Hinc ergo, quia talia ſperatis, panem ſciſſum habetis, illumq; durum non tangitis, illâ ſpe, fore ut lautitiæ vobis dentur, cum quibus panem comedatis, & ita ſedentes tacetis & exſpectatis. Sed fruſtra. Ille verò veſter Virro ſapiens eſt, qui te abjecti animi mancipium tam ſerviliter, & contumeliosè tractare poteſt. Reſtat, ut quoniam talia tolerare potes, ut illa etjã patiaris. Et quia Paraſitum agis, & omnia quæ Paraſiti patiuntur, pati potes, æquum eſt, ut non epulis ſolum à domino tuo malè tracteris, ſed etjam verberibus & plagis, & ob id in contumeliam raſo vertice caput pulſandum aliquando præbebis, & dura flagra perpeti non timebis, his talibus epulis viliſſimis & miſerrimis, & tali amico patrono tam contumelioſo dignus.

FINIS ECPHRASEOS
LIBRI SECVNDI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0102
DFG

Eilhardi Lubini

IN

D. IUNII IUVENALIS

Librum Satyrarum Secundum

ECPHRASIS

concinna & perspicuâ.



ROSTOCHII.

Typis Stephani Myliandri Anno 1602.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0103

DFG

Eximio & præclaro juveni, Dn.

IOANNI CHRISTOPHORO HARSDORFFERO, Patritio Noribergensi,

amico meo carissimo, certissimo, S.

QVod Iuvenalis noster in Satyrâ primâ exclamat, juvenis præstantissime, Omne in præcipiti vitium stetit: item:

Nil erit ulterius, quod nostris moribus addat
Posteritas, eadem dicent, facientq; minores:

Illius hoc satyrarum secundo libro fidem sibi facit amplissimam. Ecquid enim ullo mundi sæculo tetriora & atrociora scelerum potenta, monstra, & prodigia in genere mortalium, in ullâ gente grassata sunt, quam illo perditissimo sæculo Romæ, inter mulieres? Vbi cum primis notare & observare operæ precium fuerit, quo furoris ac dementiæ in illis gentium Deorum tenebris Diabolus per insanam libidinem homines impulerit. Quæ profecto dum accuratius mecum perpendo, non solum nostram felicitatem agnosco, quâ per lucem divini verbi

illas Diaboli tenebras discussimus, & tam atrocium scelerum servitutem & tyrannidem, saluatore nostro vindice, excussimus: verum etiam in dubium voco, ecquid hâc extremâ mundi senectâ majora etiam & atrociora scelerum portenta grassentur, atq; illo perditissimo sæculo, quibus equidem ambigo, ecquid etiam horribilius & enormius quidquam à quoquam cogitari possit. Tu, mi Iohannes, qui accuratissimo & severissimo hoc morum censore cum primis delectaris hoc qualecunque munusculum ab amico accipe, & pro tuo candore & nostrâ amicitiâ boni consule, inque illâ ad Sapientiam & virtutem semitâ, quam feliciter ingressus es persevera. Vale & me ama, hæc tuere, Rostochij, Mense Quinctilj, Anni 1602.

T. Studiosissimus

Eilhardus Lubinus.

LIBER SECVNDVS.

IN SATTRAM VI,

ECPHRASIS.

DEmiror equidem, Vrsidi Posthume, & satis demirari non possum, te nostri sæculi perditissimis moribus uxorem velle ducere, quo honestæ, castæ, & pudicæ vix ullæ Romæ ulteriùs inveniuntur. Priscis enim temporibus aureo sæculo Saturno regnante castitatem & pudicitiam aliquandiu viguisse, atq; diu quidem in terris visam fuisse credo cum frigida sub terrâ caverna humilem domunculam habitantibus præberet; & cum umbrosa spelunca pecori & domino communis, ignem foci, larem domesticum, pecus & pastores simul clauderet & circundaret: cum demq; agrestis quæpiam & rustica uxor è frondibus, calamis, segetum paleis, stramine & pellibus vicinarum ferarum, inter quas degebant & errabant, silvestrem & agrestem lectum sterneret & pararet. Agre-

stis, inquam, & rustica uxor, quæ non adeo mollis, adeo delicata ac tenera fuit, ut Cynthia Propertij amica, nec similis fuit Lesbiæ, Catulli amicæ, quæ flendo oculos suos fulgidulos turbavit, & turgidulos rubentesq; fecit, cum passer, quem in delitijs habebat mortuus esset; Seb quæ erat crassa, rudis, & neglecta, & puerpera, ipsa suis infantibus grandibus & magnis ubera sua magna potanda exhibebat; atq; adeo in victu & amictu sæpe neglectior, horridior & incultior erat, quàm maritus suus, qui glandes, & alios herbarum & arborum fructus ad fructum usq; avidè devorabat. Nimirum sub mundi initium, cum terrarum orbis adhuc novus esset, & cælum recens paulo ante à Deo exstructum, homines longè aliter vivebant, quàm hoc nostro tempore, ab impudicitia, libidine, alijsq; vitijs alienissimi, utpote qui aut ex fætis arborum truncis & robore diffisso & rupto nati, aut à Prometheo è limo terræ compositi & formati, nullos parentes, à quibus vitia & scelera discerent, habuerunt. Porro etjam sub Iove secunda hominum ætate argenteo sæculo multa adhuc aut saltem aliqua veteris pudicitiæ & castitatis vestigia reliqua fuerunt. Sub Iove, inquam. Sed Iove, nondum barbato, nondum adulto, qui nimirum ætate grandior in omnes formas adulter se transmutabat, & nullis non libidinibus frena effusissimè laxabat; cum nondum ex hominibus Dij essent facti, cum nondum esset perjurium, nec Græci infideliores patati essent, per Iovis, Apollinis, Æsculapij aut alterius

vius hominis caput pejerare, Cum suis pomis, fragis, pyris, glandibus, oleribus, aut caulibus, quibus tum temporis vivebant, nemo ferum timeret, sed sine ullo furum & raptorum metu horto cuiq; patenti & aperto viveret. Paullatim deinde sub Iove jam adulto Astræj filia Iustitia pudicitiâ & castitate comitante, è mundo profligari cæpit, & ad superos relicta terrâ recessit, & duæ potissimum sorores Iustitia & Pudicitia uno tempore aufugerunt. Nimirum vetus & antiquam scelus est, Vrsidi Posthume, atq; inde à Iovis tempore usitatum adulterium admittere, & alterius mariti lectum violare, contaminare, & turbare, & matrimonialis & sacri thalami genium præsidem contemnere. Mox post Iouem tertia ferrea ætas per injustitiam & libidinem omne aliud vitium & scelus produxit, & humano generi perdendo invexit; Sed adulterium inter omnia hæc scelera primum est. Nam argentea secunda ætas Iovem, Nuptunum, Martem, omnium primos adulteros experta est, & inde ab ætate Iovis, tot retro sæculis, libido in mulieribus regnavit. Et tu tamen Vrsidi nostrâ hâc ætate te castam inventurum speras, & pacta matrimonialia paras & adornas, & uxorem vis ducere, teq; ad futuras nuptias exornas, à tonsore admutilatis capillis & barba pecteris, ut puellæ tua placeas, cuius fortassis digitum anulo aureo, in certum fidei & amoris pignus exornâsti. Quid? Dicamné te jam furiosum esse redditum? At certè antea sanus & rationis compos solebas esse.

Tunc

Tune jam, Posthume, uxorem duces? Dic mihi quæ te furiæ vexant, quæ serpentes & colubros crinium loco habere finguntur? quæ te intemperiæ agitant? Tune aliquam dominã omni morte molestiorem & graviorem ferre potes, cum tot laquei sint quibus te possis suspendere, cum tot sublimes, & tam altæ fenestræ, quæ squalorem & caliginem visui obducant pateant, è quibus te possis præcipitare, cum pons Æmilius tibi vicinus sit, è quo te præcipitatum aquis possis submergere & suffocare. At si de tam multis nullum mortis genus tibi placet, quid, homo flagitiosissime, nonne illud melius esse putas, quod puer aliquis, ut hactenus, tecum dormit. Puer, inquam, qui nocturno tempore tecum non contenderet, ut efferatæ libidinis mulier, cui fatisfacere nequeas: qui istic in lecto tecum dormiens nulla munuscula à te exigit pro concubitu, ut mulieres, quæ continentiores scilicet videri volunt: & qui deniq; non de tuâ ignaviâ conqueritur in præstando officio uxori debito, quod lateri tuo parcas, nec, more mulierum, quantum jussit concubitu anheles, teq; defatiges. At, quantum video, placet Vrsidio nostro lex Iulia, cui se vult conformem gerere, adulterij pœnam vitare, uxorem ducere, dulcem heredem ex propriâ uxore suscipere & educare, captatorum (qui orbos munere palpari solent) inescationibus, ut magno & eximio pisce turture, & mullorum cristis & jubis, & omnibus deniq; quæ è macello à captatoribus emi, & orbis mitti solent, carere.

Dij im-

Dij immortales! quis hæc unquam fieri posse crediſſet? quid autem jam porro impoßibile esse credemus, si una mulier Vrsidio in matrimonio conjungitur? Si Vrsidius, qui hactenus omnium mœchorum famoſißimus fuit, jam instar domiti equi stultum suum os, & fatuam cervicem matrimoniali capistro frenandam & flectendam porrigat: qui toties adulter superveniente marito sub cistâ ab adulterâ fuit absconditus, alias occidendus & perituru, qualem casum Latinus Mimus in ludo nuper expreßit. Quid? quod Vrsidius, non solum velit uxorem ducere, sed etiam honestam, castamq; sibi postulet, & antiquis optimis moribus præditam, quales vixerunt, ut supra dictum, primo sæculo, sub Saturno, O medici, incidite Vrsidio huic mediam brachij venam, & liberate hominem furioſum ab insania. O hominem nimis tenerum & delicatum! qui non contentus communibus ferculis peculiares delitias sibi quærat, hoc impudico sæculo, castam & pudicam uxorem, ipse impudicus. Quod si tu adeo felix es, ut tibi uni & soli matrona pudica contigerit, merito Dijs gratias age, & Iovem Capitolinum in templo arcis Tarpejæ supplex adora, & Iunoni matrimonij & castitatis præsidi majorem hoßiam juvencam auratis cornibus immola. Vsq; adeo paucæ castæ puellæ Romæ sunt, quæ ob pudicitiam servatam dignæ sint, quæ Sacerdotio Cereris, ad quam impudicas accedere nefas, præficiantur, eiusq; vittas con-

contingant, quarum oscula cognatis & notis obviis ex veteri more data, pater non timeat, tanquam parum casta, non honestæ caritatis, sed turpis libidinis indicia. Para ergo, Vrsidi, quantum potest, futuras nuptias: Domus tuæ postes sertis orna, limina ædium tuarum densis hederis & viridibus ramis instrue. Nimirum Romæ tibi inventa est Iberina tua, quæ pudica est, & te unico viro contenta erit.. Imo verò illa unico potius oculo quam unico viro contenta erit; & facilius ab ipsa impetrabis, ut uno oculo, quam suis mœchis careat, Vt quos illa suis oculis longè cariores habet. At quisquam hic forsan objiciet: si non in urbe saltem in agris castæ inveniuntur, ut magna passim fama est de quâdam ruri in paterno agro vivente. Sit sanè. Verum non illa casta judicanda est, quod castè vixit, quia occasione peccandi caruit, sed quæ cum occasionem habens etiam impune peccandi, non peccat. Age enim vivat illa, non Romæ dicam, imo verò tantum in vilibus opidis extra Romam, ut Gabiis, Fidenis, & ceteris, ubi juvenes paulo venustiores, & major peccandi occasio, quam in agris; vivat, inquam, in opidulis illis, ut de Româ nihil dicam, castè & pudicè ut in agro vixit, & concedam illam verè castam in agro paterno vixisse. Verum ibi in opidulis castitatem suam tueri haud dubiè non posset, nedum Romæ. Et tamen quis jurejurando affirmare ausit ipsam etiam in agro per omnia

castam

castam vixisse, & nihil impudicè ab illâ actum esse in agrorum montibus, speluncis, & sylvis? Vsqueadeone Iupiter, Mars, Neptunus & alij adulteri & scortatores rustici, qui puellas rusticas in silvis & speluncis constuprare solebant senuerunt & infirmi redditi sunt, ut rusticæ puellæ jam virgines maneant? Ego sanè non crediderim. Sed missis rusticis illis ad urbem Romam & Romanas mulieres reuertamur. Age dic mihi, Posthume, ostenditurné tibi in universis porticibus ulla fœmina, quæ voto & desiderio tuo satisfaciat? Anne etiam universa Amphitheatra in cuneis atq; receptaculis suis ullam habent mulierem, quæ tibi merito de impudicitiâ suspecta non sit, & quam tu tanquam castam securè amare, & inde tanquam bonam diligere possis? Nullam opinor invenies. Quid te inventurum dixi in theatris? Imò verò quæ casta & pudica theatrum ingressa est, ab impudicis spectaculis corrupta, impudica rursus inde discedit. Ecce enim dum mollis ille Pantomimus Bathyllus, saltationem illam, quæ Læda dicitur, & certis manuum gestibus & legibus constat lasciuè & impudicè saltando repræsentat; mulier rustica ex Thuscià illam lascivam saltationem spectans adeo ad libidinis furorem inflammatur, ut præ libidines pruritu urinam retinere nequeant; Altera ex Apuliâ rustica quæ spectat, illo spectaculo incensa, gannitum & voculas amantium, subitas & miserabiles inter concumbendum exprimit,

non

non secus ac si mimum, quem videt, tenaci complexu ad concubitum admissura esset. Tertia rustica mulier Thymele longùm intendit, & accuratè omnia in saltatore observat, & sic, quæ ante ignorabat discit, & quæ pudica accessit, ad omnem libidinem & impudicitiam illo spectaculo accuratissimè informatur. Aliæ mulieres tanto amore mimorum & histrionum tenentur, ut quoties illorum ludi finiti sunt, & vela picta theatri ornamenta non suspensa amplius sunt, sed reconduntur & ocium quasi agunt, & theatrum à spectatoribus vacuum & clausum est, mq; solo foro causæ aguntur, nulla autem in theatro spectacula exhibentur, & matris magnæ Deum Cybeles ludi Megalenses longissime post plebejos ludos temporis intervallo exhibentur: Tunc ob intermissa spectacula tristes, & moræ impatientes Accij mimi faciei tegmen, hastam pampinis involutam, & subligaculum quo virilia ejus inter agendum religabantur tenent, & apud se interim custodiunt & adservant. Alia mulier Ælia tenuis & pauperula Vrbicum actorem exodiarium amat, qui in Atellanis fabulis risum exodio ridiculo & obscœno carmine excitat, dum adhibitis gestibus in Atellanâ fabulâ de Autonoe Cadmi filia matre Actæonis in cervum conversi conscripta, ridiculum exodium recitat. Ab alijs mulieribus Comœdis, quos amant, magnum precium proponitur, ut fibulam, qua mem-

quâ membra sua à concubitu inhibent, solvant & secum rem habeant. Et, ne forte hoc falsum esse censeas, Chrysogonus cantor & Citharœdus adeo raucus nimis crebro concubitu cum hisce matronis redditus est, ut cantare non posit. Hispulla illa pinguis & crassa matrona Tragœdo delectatur. Nimirum histriones & mimos amant, non viros doctos & bonos, quod miseris maritis forte solatio esse posset. Nempe tu, Posthume, Iberinam tuam uxorem duces, de quâ Echion, aut Gláphyrus citharœdus, aut Ambrosius in choris Tragœdiarum tibias inflare solitus per adulterium filios procreet, & pater fiat. Et sic nobilissimi Romani Lentuli & alij magnis sæpe sumtibus nuptias faciunt, per angustas plateas longo tractu pulpita ludis agendis exstruunt, ædium postes ingentibus è lauru frondibus in nuptiarum honorem exornant; Vt scilicet alter adulter è nobilissima sponsa tua per adulterium filios procreet, & ita infans ex adultero natus, prod genuino tuo filio habitus, sub velo culcitæ ambitiosè incurvato tanquam nobilissimus jaceat, & non tuam ficti parentis sed Euryali vilissimi gladiatoris adulteri, veri patris sui imaginem exprimat, & repræsentet. Quod si hæc credere cunctaris, memorandis exemplis tibi comprobabo. Hippia nobilissima matrona, Fabritij Vejentonis Senatoris & Consilij Domitiani conjux deserto morbo adulterum suum Sergium vilem & infamem gladiatorem ad Pharon Ægypti insulam & Nilum fluvium, & famosam illam urbem Alexandriam, quam Lagus Cleo-

patræ pater tenuit, profuga secuta & comitata est. Adeo ut prodigiosum hoc matronæ Romanæ facinus etjam Alexandria & Canopus flagitiosæ & molles urbes condemnarent. Illa vero suæ tam splendidæ familiæ, sui conjugis honoratissimi, suæ sororis unicæ oblita, nullâ patriæ caritate & amore commota fuit; Imò verò liberos suos matrem abeuntem miserabili voce implorantes & compellantes, & quod omnium maximo cum stupore demirandum, ludos Circenses & Theatrales, & imprimis Paridem Pantomimum, quo maximè delectabatur, deseruit, & reliquit. Quanquam autem, in molli è plumâ lecto in paternâ domo, & cunis vittis atq; fasciolis ambitiosè ornatis puella parvula dormijsset, & inter magnas opes, & supinas delitias molliter & lasciv è educata esset; contemsit tamen molestias & discrimina navigationis. Famam autem & pudorem jam ante multos annos contemserat, cujus famæ apud illas, quæ in mollibus sellis & lecticis vectantur jactura non magni momenti est. Illa ergo omnia maris discrimina, Tyrrheni maris fluctum, Ionij maris latè sonantem fragorem forti animo & invicto pectore pertulit; quamvis per Tyrrhenum, Ionium, Ægeum mare longissimo pelagi tractu ipsi transcundum, & mare toties mutandum esset. Quod si tales mulieres ex honestâ & justâ causâ aliquod periculum subire deberent, tum videres illas expavescere, præ formidine frigore & gelu toto pectore torpescere, & congelari, & pedibus præ anxietate trepidantibus non posse insistere. Contra dum au-

dent

dent res turpißimas animo sunt fortißimo & imperturbato. Si conjux Vejento eam jußisset secum navim conscendere; tum durißimum hoc ipsi accidisset, tunc aqua in imâ navi fœtida, graveolens ei fuisset, & vomitum provocaßet, tum nauseâ fuisset adfecta, & aer superior vertigine capitis inferior ei apparuisset. At verò dum Sergium mœchum suum sequitur stomacho valet, & nihil difficultatis experitur, quæ si maritum apud se habuisset, illum nauseâ laborans vomitu contaminâsset. Dum vero apud adulterum est optimè se habet, inter fœdos nautas prandium capit, huc illuc per puppim læta discurßat, & spatiatur, & chordas & rudentes navis manibus contrectare & contingere delectatur. At quæres, quânam formâ corporis, quâ juvenili ætate Sergij capta fuit hæc Hippia, & quidnam tandem vidit in Sergio, ob quod ludij & gladiatoris uxor potius, quàm Senatoris Romani dici sustinuit? Nihil tale exspectes. Nam pulchellus hic Sergiolus, si Dijs placet, non juvenis erat, sed jam senior plenam barbam alebat, & guttur sibi inter tondendum radebat, & tum ob senium, tum ad mutilatum brachium rude donari, & missionem à munere gladiatoria impetrare sperabat. Deinde pulcher non erat: quippe cujus faciem multa deformabant, quam nempe galea multis in locis attiverat, in naso medio ex plagâ ingens gibbus tumore admodum deformi ipsi insurgebat; præterea acri malo lippitudinis

infestabatur, quo oculi semper illi fluebant. Sed nimirum erat gladiator; hoc illum ex deformi formosum & Hiacyntho juveni similem faciebat, Hoc Hippia suis liberis, patriæ, conjugi, sorori, & omnibus deniq; humanis antepositi. Nam non amant formosos, & juvenes, sed ferrum, sanguinem, & cædem. Atq; adeo hic Sergius non per se sed ob gladiatoriam amabatur. Qui Sergius si rudem tanquam emeritus acciperet, & pugnam non amplius exerceret, non formosus amplius Hippiæ videretur, Sed incipere turpis & deformis videri, qualis vejento maritus, eumq; etjam ut priorem maritum desereret. At vero, tune curiosè demiraris quid privata Vejentonis domus fecerit, quid Hippia privati civis Romani conjux designaverit. Nihil hoc est præ illo publico quod sequitur. Fabritius Vejento unum tantum hic rivalem gladiatorem Sergium habebat. Respice ad innumeros rivales Divi Claudij imperatoris, qui sunt infames ganeones, & scortatores sordidissimi, Audi, quæ opprobria, quas contumelias Claudius ab uxore sua Messalinâ pertulerit. Hæc ausa fuit, non cum uno aliquo ausugere, sed sordidissimi ganei vilem tegetem & mattam Imperatorio thalamo anteferre, Et Imperatoria conjux meretrix ex Angustéo stemmate, & nocturno tempore meretriceos cucullos adsumere, & cum conjugem suum Claudium Cæsarem dormire animadverteret, clam surgens illum linquebat, non amplius unâ ancilla comitata, quam illa nocte in libidinis certamine provocatam quinto & vigesimo concubitu

cubitu superavit, & nigrum crinem, quo tanquam honesta matrona utebatur, flavo galero tanquum meretrix abscondens intravit fædum lupanar, & sellam meretriciam quam à Lycisca conduxerat, à Lyciscâ jam vacuam & suam, veteri villoso panno, & centone adhuc calentem. Tum verò mentiens se Lyciscam esse, ejusq; titulum sellæ præfixum retinens papillas undiq; denudatas, & auro redimitas habens, in prostibulo constitit, & ventrem tuum, unde tu proditurus eras, ô generose Britannice ganeonibus ostendit ac denudavit, Scortatores ganeones ad se intrantes blandè excepit, & pecuniam stupri mercedem, ut vera meretrix crederetur, exegit. Cum mox circa noctem ferè mediam leno puellas suas jam dormitum dimitteret, illa abit cum reliquis, tristis interim, quod tam subito sibi discedendum esset. Sed extrema tamen, quæ potuit, tentavit, & inter omnes ultima fuit quæ cellam suam clauderet, libidine adhuc æstuans, & rigidi indomitiq; membri prurigine ac tentigine etjamnum ardens, & resupinata à stupratoribus, plurimos supra quam dici & credi potest ad sui consuetudinem admisit, & à tot viris defatigata quidem, sed nondum satiata ultima omnium tandem discessit, & crebris ganeonum osculis, genis turpis facta, & lucernæ fuligine fædata, turpem & obscœnum lupanaris odorem ad splendidissimum pulvinar Imperatorij thalami secum retulit, cumq; imperatore marito suo rursus dormijt. Et atrocissima quidem hæc. Sed quid dicam de atrocioribus; ut de Phil-

tris ex Hippomane, de fascinis, incantamentis, & carminibus magicis, de veneno cocto, & privignis à novercis dato? Illa enim, quæ ab alijs adfectibus odio, irâ, invidiâ, vindictæ cupiditate, quæ potenter muliebri sexui imperant, proficiscuntur, ut veneficia, homicidia, parricidia, longe adhuc graviora sunt, quàm illa per libidinem faciunt & committunt. Verum objiciet mihi aliquis. Si omnes mulieres malæ sunt, quî fit quod Cesennia, vel marito teste, optima & pudica sit? Dicam tibi. Contulit marito suo amplissimam dotem, nimirum decies centena milia H.S. Ob tantam nimirum dotem illam maritus pudicam vocat, quæ fortassis libidinosa & impudica est. Maritus enim non veneris sagittis emaciatus illam amat, nec cupidinis tædâ vel Lampade incensus illam deperit, sed amore tam ingentis dotis. Inde enim à dote amoris flammæ in marito ardent, Inde à dote amoris sagittæ profectæ maritum sauciant, non autem à virtute & castitate. Quâ nimirum dote acceptâ viri imperium vendunt, & datâ mulieres libertatem faciendi quidquid libet sibi emunt. Dotatæ enim mulieri conceditur vel marito præsente, adultero suo innuere, & illi quo loco & tempore convenire velint, coram marito rescribere. Nihilominus à viro tanquam pudica laudatur. Dives enim mulier, quæ avaro tali nupsit, illa in conjugio æquè libera est, ac si esset vidua, & quibus vult commiscetur, tanquam maritum non haberet, & adulterium non committeret. At quid caussæ est cur Sertorius maritus tanto

amore

amore Bitulæ uxoris ſuæ ardeat? Numnè hoc ob ejus virtutem & pudicitiam facit? Si veritatem aliquanto accuratiùs perſcrutêris, faciem & pulcritudinem uxoris ſuæ, non uxorem ipſam amat. Age enim ſenectus aliquanto propiùs accedat, & vel tres tantum rugæ faciem Bibulæ invadant, arida & exſucca cutis ſeſe laxet, dentes ſenio nigreſcant; & oculi præ ſenectute contrahantur: quid tum futurum putas. Ibi verò libertus juſſu domini illi dicet: Heus tu, collige tuas reculas & ſarcinulas, & ex heri mei domo exi. Anus fœda es & deformis, nobis moleſta & ingrata es, cui ſtiria de naribus ſemper dependet, quæ ſæpe emungeris. Exi inquam ex ædibus noſtris ocyus, & feſtina. Alia juvenis & formoſa quæ naſo ſicco eſt, ſeq; ob ſenilem ætatem toties non emungat, tibi ſucceſſura ſubſtituetur. Interea dum adhuc juvenis, ac formoſa eſt viget, calet, & vivida eſt, & marito imperans in domo regnat, Et à marito quidquid volet poſcit & impetrat, paſtores & oves in Calabriâ, vineas in Falerno monte, atq; alia preciosa. Verum hæc parva adhuc ſunt. Imo vero illa expoſcit omnes pueros in ſervitium ſibi emi, magnam ſervorum multitudinem, & omnes, qui in ergaſtulis opus faciunt, & deniq; quidquid ipſa non habet, & vicinus habet, illud ſibi emi poſtulat. Et hiemis quidem tempore, cum mare navigaturis clauſum eſt, & mercatores in Pontum, ut Iaſon olim, navigantes extera loca navi adire nequeunt, & hiemis inclementia nivibus omnia tegens nautis alias ad navigandum

accinctis obstat, tunc è longinquis regionibus maxima vasa Crystallina & murrhina à maritis petuntur, & uxoribus adferuntur, tunc petuntur preciosæ gemmæ, qualis fuit nobilissimus ille Adamas quem ex Iudæa quispiam his diebus attulit, qui scilicet in digitis Berenices, quæ illum gessit, pretiosior factus est. Quippe hunc adamantem olim barbarus ille rex Iudeæ Herodes Agrippa olim dedit incestæ suæ sorori Berenicæ, cum quâ incestum commiserat. in illâ regione, ubi reges nudis pedibus festa sua Sabbata celebrant, & ubi ex clementia veteri consuetudine introductâ longa vita & senectus porcis indulgetur. Age dic mihi, anne quædam ex illis, quas memoravi digna tibi matrimonio tuo videtur? Non opinor. Verum age, sit optima, & quasi excellentis matronæ Idea: Sit formosa, venusta moribus, dives, fœcunda, nobilis, quæ in ædium suarum porticibus nobilissimos progenitores suos ordine disponat, eorumq; ibi imagines ostentet, & quod rarissimum sit & jam castissima, & sit pudicior priscis illu Sabinis mulieribus, quæ olim bellum inter Tatium & Romulum crinibus sparsis & effusis diremerunt. Heus tu: talem optare licet, consequi non licet, ut quæ in terris rara admodum avis est, & nigro cygno perquam similis. Verum age dic mihi, quis talem uxorem ferre posset, cui prædicta illa omnia insunt? Illa ex fastu & superbiâ prorsus erit intolerabilis. Ego vero mallem mihi pauperem aliquam ex Canusino opido uxorem, quàm nobilissimam aliquam qualis fuit Cornelia Publij Scipionis africani filia,

filia, Cornelij Gracchi conjux, Caij, & Tiberij Gracchorum mater, si cum rariis hisce prædictis virtutibus magnum supercilium & fastum conjunctum habet, & triumphos parentum suorum de Africâ devictâ dotis loco mihi numerat. Imò verò ne nobilitatem tuam mihi objectes toties, exi potius à me, & triumphos majorum tuorum, de Annibale devicto, de Siphace in suis castris nocte occiso, & totâ denique Carthagine deletâ tecum tolle & aufer, & è domo meâ migra. Quàm vero intolerabilis sit mulierum superbia, exempla Niobes Poëtæ nobis indicarunt, quæ ob numerosam prolem sese Latonæ anteferri voluit. Cum ob id Apollo & Diana ob contemtum matrem irati Niobes filios & filias omnes unâ die Sagittis configerent, miser amphion pater, puerorum suorum mortem deprecatur, & Apollinem compellat. O Apollo parce precor meis pueris, & tu ô Diana depone sagittas tuas. Nihil enim pueri culpæ in se admiserunt. Ipsam potius matrem Nioben quæ suâ impietate matrem vestram violavit, sagittis conficite. Sed Apollo hac deprecatione nihil commotus arcum contrahit & omnes immisericorditer trucidat. Niobe ergo dum se generosiorem esse quàm Apollo & Dianâ Latonæ proles & fœcundiorem, quàm scrofa illa alba, quæ Æneæ ex oraculo prope Albam apparebat, & triginta capitum fœtus enixa jacebat, ex impiâ superbiâ existimat; omnem multitudinem filiorum & filiarum, unà cum patre Amphione uno die ad sepulturam extulit, & ipsa in lapidem versa contabuit.

Quæ autem pudicitia & morum honestas, quæ forma & pulcritudo tanti tibi esse potest, ut ob illa superbam uxorem tolerare velis, quæ suam formam, & virtutem tibi semper obijciat & exprobret? Hujus enim virtutis & pulcritudinis, summi quidem, sed rari boni nulla gratia & voluptas est, quoties illa per animi fastum corrupta plus amaritudinis quam dulcedinis secum habet? Quis autem tali uxore tantopere addictus & deditus est, ut illam quam ob virtutem & formam laudat, & fastum & superbiam non aversetur, illamq; indies septem horis non oderit, quinq; vero tantum amet, illamq; non magis aversetur, quàm diligat? Quædam mulierum vitia parva quidem sunt, sed maritis tamen prorsus intolerabilia. Quid enim putidius ac fædius est quibusdam feminis Græcam linguam adfectantibus, quod nulla sese pulcram esse existimet, nisi quæ ex Itala aut Thusca Græcula facta, de Sulmonensi prorsus Atheniensis. Nempe omnia Græcè proferunt, cum tamen nostris Romanis pro summa turpitudine habeatur, latinè loqui nescire, & vernaculam linguam ignorare. Hoc Græco sermone omnes animi adfectus, metum, pavorem, iram, gaudia, curas, sollicitudines, & omnia deniq; animi secreta exprimunt. Quid dicam ulterius? dum cum viris vel adulteris concumbunt Græcè loquuntur. Poterat tamen hæc Græcanici sermonis lasciva adfectatio puellis juvenibus condonari. Quis autem ferat octoginta sex annorum decrepitas vetulas hasce Græcæ linguæ lasciv-

civias

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0124
DFG

civias usurpare. Certe in vetulis hic sermo pudicus non est præsertim si lascivum illud ζωὴ καὶ ψυχή. mea vita & animula quibus Lais in concubitu juvenibus adblandiebatur. Tune pessima vetula illis verbis in communi sermone cum populo, uteris, quæ paullo ante in concubitu cum scortatore, sub lecti stragulo reliquisti? Vox enim blanda & nequam qualis in Græco sermone, qui homini pudico nimis insidiosus, quam hominem ad libidinem non instigarit. Certè qui sermo Græcus non minus libidinem irritat, quam si admotis impudicæ mulieris digitis libido excitetur. Quamvis autem hisce tuis Græci sermonis lascivijs vel maximè auditores ad libidinem insliges, omnesq; ingenij tui nervi & pennæ deorsum vocentur, quamvis etjam hæc nobilissimis mimis Hemo & Carpophoro mollius & blandius pronuncies, tamen quia facies tuâ annos tuos numerat, teq; decrepitam vetulam prodit, nemo opinor te amabit. Nimirum nulla prorsus uxor ducenda est. Si enim conjugem tuam, quæ tibi legitimis tabulis & instrumentis sponsalibus juncta & pacta est, non amaturus es; nulla videtur caussa esse quare illam ducas, quare nuptiarum impensas facias & digestiva illa fercula perdas, quæ finitis nuptijs, cum abeunt illi, qui officij gratia convenerant, cruditate laborantibus dari solent, & munus illud perdas quod novæ nuptæ pro primâ nocte dari solet, cum in divite & copiosâ lance

nummi

nummi aurei, Domitiani Imperatoris Dani & Germanici effigie insigniti & inscripti radiant & fulgent. Sin vero simpliciter uni uxori animus tuus deditus est, quam amare velis, tum expedi te ad jugum subeundum & caput inclina, ut cervix tua ad servitium ferendum parata sit. Nullam enim invenies conjugem, quæ si sentiat maritum suum se amare, illum non miserè vexet. Licet enim ipsa maritum suum redamet, tamen tanta in eâ est malitia, ut naturaliter gaudeat, si maritum qui se amat torquere possit. Adeoq; quo quis melior maritus, & qualem femina sibi optare posset, erit, suamq; conjugem debito honore & amore complexurus est, eo miserior est futurus, eoq; minus uxor illi utilis est. Quippe in quem illa potenter imperium suum exercebit. Si hæc tua conjux nolit nihil unquam cuiq; donare poteris, si hæc obstet, nihil vendere, si hæc recuset, nihil emere; Hæc amoris, iræ, & odij adfectus, erga & adversus quem volet, tibi dabit. Hac instigante amicum illum excludes domo tuâ, qui juvenis, cum primam barbam aleret, domum tuam frequentare solebat. Et quod omnium turpissimum, cum infames lenones lanistæ & gladiatores qui in harena pugnant, libertatem & jus habeant testamentum condendi pro suo arbitratu, Tibi contra forma testamenti tui à dominâ tuâ dictabitur, & non pro tuo sed pro uxoris arbitrio mœchos conjugis, rivales tuos, idq; non unum, sed multos in testamento bonorum tuorum hæredes relinques. Et non hoc solum sed gra-

viora

viora etjam marito suo imperábit. Si enim vel ob levissimam offensiunculam servo cuiquam irata sit, statim marito suo imperat, & inquit: Constitue crucem nequam ipsi servo. Cui si maritus respondeat & dicat: Quid peccati in se admisit servus, quo supplicium tale promeritus sit? cujus testimonio tanti criminis convincitur? quis illum accusavit? Audi mea conjux: non tam subito, de supplicio alicujus hominis statuendum est, sed accuratè perpendendum, anne etjam reus sit. Nam nulla mora & deliberatio de morte hominis potest esse minus longa. Ibi verò domina marito suo respondet. O vir stulte & stolide. Itane verò etjam servus homo est. Age esto, quod nihil fecerit & peccârit nihilo minus mori tamen debet, quia sic volo, & jubeo fieri, & si caussam supplicij quæras, scias me ita velle. Atq; ita mulier dives & dotata viro suo imperat. Sed mox hoc imperium relinquit, & domum maritumq; permutat, & toties alijs atq; alijs nubit, ut frequenti usu vestes nuptiales flammea dictas, conterat; & mox ad alium, inde rursus ad alium maritum avolat, sæpe etjam priorem maritum, quem ante spreuerat & repudiaverat, repetit. Deniq; domum secundi mariti in nuptijs paullo ante frondibus ornatam, & vela & aulæa adhuc pendentia, & ramos in limine ædium adhuc virides & nondum arefactos relinquit, seq; ad alium confert. Hac ratione nimirum virorum numerus crescit, sic in quinq; annis octo maritis potest nubere? Quæ res digna profecto est, quæ in memoriam apud

poste-

posteros lapidi sepulcri incidatur. Porro, quam diu socrus tua adhuc salva & in vivis est, nullam concordiam & amorem conjugalem sperare potes. Illa filiam ad omnia mala contra maritum instigat, illa docet filiam, quomodo miserum maritum suum spoliare, & nudum relinquere debeat, illa docet ad missas adulteri litteras doctè cautè & artificiosè rescribere, illa custodes conjugi à marito ad tutandam pudicitiam adhibitos decipit, aut pecuniâ data illos corrumpit. Deinde cum filia sano sit corpore, eam ægrotare fingit, & Archigenem medicum advocat, ut sub medici persona quivis adulter intrare possit, & pallia, quibus illa in lecto tegitur, tanquam illa ægrotæ onerosa sint, abijcit. Interea dum ita visitur à medico, adulter abditus & in loco aliquo secretus latet, & moræ, quam medicus facit impatiens tacet, & membri sui carunculam ducit & tractat. Anne scilicet honestos, & alios mores in filia exspectare potes, quàm mater habuit aut habet? Deinde utile etjam est turpi matri vetulæ, sibi similem filiam turpem & adulteram producere. Cujus scortationibus & adulterijs ipsa sustentatur. Quid dicam mulieres jam in foro caussas agere? Sanè in omnibus ferè caussis, quæ in foro aguntur fœminæ, litem movent, & Manilia, si non defendentis saltem accusantis partes habet. In his autem caussis forensibus multæ adeo doctæ sunt, ut ipsæ per se libellos supplices, petitorios, accusatorios defenso-

rios

rios componant & conforment, tam exactè, ut Cornelio Celso oratori & ICto insigni orationis exordium, & argumentorum locos Rhetoricos tanquam discipulo dictare possint. Quid memorem mulieres Romanas in Gymnasio, & Campo Martio se athletarum & tyronum more in gladiatoriâ arte exercere. Quis autem nescit, feminas illas longas suffultas athletarum vestes Tyrio murice imbutas, & Ceroma athletarum unguentum usurpare? aut quis non vidit plagas palt in terra defixi, quem sude assiduis ictibus cavat, & scuto tanquam adversarium provocat, & nihil ex legitimâ exercitatione intermittit, prorsus dignissima matrona, quæ in ludis floralibus tubam inflet, qua reliquæ meretrices convocentur. Nisi forte in illo mulieris pectore majus quid adhuc sese agitat & movet, & ad veram, non simulatam, cum adversario pugnam sese præparat. O mores, ô tempora! Quem autem pudorem, quam pudicitiam præstare poterit, mulier, quæ galeam induit, & à sexu suo femineo ad virilem fugit, & vires roburq; corporis amat. Et hæc ipsa tamen mulier, quæ sic virilia agit si posset, vir fieri nollet. Nam quantula virorum in concubitu voluptas, qua viri citissimè, mulieres nunquam satiantur. Age vero, quàm egregium vestium muliebrium ornamentum venum exponeretur, si conjugis tuæ mundus & ornatus sub auctione venderetur; Nimirum venalis exponeretur baltheus

milita-

militaris, manicæ, cum digitalibus ferreis, pennæ, in cono galeæ, & tegmen dimidium illud quo sinistrum crus inter pugnandum legitur; quod si etjam diversa prælia retrariorum, & seculorum, aliaq; obire velit, summæ tibi laudi erit, & felix deputaberis, cum conjux tua etjam ocreas quibus retrarij & secutores utuntur, sub auctione vendent. Hæ scilicet impudicæ & feroces viragines illæ sunt, quæ alias tenerrimæ, & mollissimæ videri volunt, & simulant se sudare etjam cyclade veste ex tenuissimo filo factâ, & quarum molle ac delicatum corpus etjam panniculus sericus & bombycinus suo pondere gravat & molestat. Aspice vero quanto fremitu & ferociâ ictus à campidoctore sibi monstratos excipiat, quam incurvetur ponderosam viri galeam gestans, quam extensa quam magna in suris suis sedeat, dum genu inter pugnandum flectit, quam densa complicatione vestes ejus colliguntur & sinuentur dum ictum declinans se incurvat; & vide cum depositis armis matellam sumit, ut mejat. Nam quam pugnantem virum arbitrabare, tum fœminam esse facile poteris colligere. Quanta verò hæc impudentia. Heus, vos nobilissimas matronas; qui neptes virorum optimorum, ut M. Æmilij Lepidi, & Metelli cœci, & Fabij Gurgitis, compello, respondete mihi: quæ unquam vel vilissimi gladiatoris uxor tantam turpitudinem admisit, quam vos admittis, dum gladiatorum arma induitis, & quando unquam Asyli gladiatoris uxor, per summum dedecus ad palum pugnando sese exerceat, ut vos nobilissimas

quotti-

quotidie facere videmus. Quid de alijs conjugis incommodis dicam? Certe ille thalamus, in quo conjux cum marito suo dormit, semper lites jurgia & contentiones alternis vicibus, modo à viro, modo ab uxore motas habet, idq; non die, solum verum etiam nocte. Parum profecto in illo dormitur. Et mulier quo gravius scelus & adulterium perpetravit, hoc viro suo gravior & molestior est. Tum autem viro suo gravissima est, & vel tigride, cui catuli à venatore ablati sunt, truculentior & immanior, cum occulti adulterij perpetrati sibi conscia est, cum dolores & gemitus simulat, & maritum nescio cujus flagitij & adulterij insimulat, ut maritus præ occupatus de adulterio uxoris suæ cogitare non possit. Tunc odio tui pueros, quos ex te suscepit, aversatur, tunc fingit se pellicem pati, cum qua maritus per adulterium consuescat, & plorat, ut cui ingens lacrumarum ubertas & copia semper suppetit, quæ semper ei in promtu sunt, & in statione & procinctu suo quasi paratæ stant, & illam exspectant, quo loco, tempore, modo illas manare, & effluere jubeat. Tu interim miserrime cucule cum vides ita uxorem tuam flere, credis quod tui amore ex Zelotypiâ illud faciat, & miser, curucæ avi similis, quæ aliena ova pro suis fovet & excludit, tanquam fortunatus tibi places & gratularis, quod uxorem consecutus sis, quæ te virum tantopere amet, illam amplecteris, & inter deosculandum lacrumas illas fictas labellis tuis è genis conjugis tuæ absorbes. O miserrime, quas litteras à mœchis uxori tuæ

missas visurus & lecturus esses, si ista uxoris tuæ adulteræ, quæ se Zelotypam, & tui amantissimam simulat, tibi aperiretur? Quid? quod bestiæ tales etiam in atrocissimo crimine à maritis deprehensæ sese excusare possint. Nam cum deprehenditur à viro in adulterio cum servo, aut equite: Age Quintiliane oratorum disertissime, quonam orationis colore tu tantum scelus, tam atrox facinus non excusare, sed quoquo modo palliare velles. Ille vero, quamvis tantus orator hæret, nihilq; invenit, quo tantum scelus possit palliare. Age tu ipsa mulier adultera, dic, quomodo tuum illud facinus excusabis. Illa vero audaciæ & confidentiæ plena satis procaciter respondet. Iam olim inter se maritum & me ita convenit, ut tu viveres ut tibi complacitum est, & ego quoq; mihi indulgere, & animi gratia interdum ad alium possem convertere. Et licet tu, mi vir præ indignatione clames, & cœlum cum terra invoces nihil profeceris. Nam homo sum, & mulier nata, quæ ex sexus imbecillitate peccet, & veniam promereatur. Et sic nihil confidentius & audacius est mulieribus illis in adulterio deprehensis, quæ à sceleris magnitudine & enormitate iram & animum desumunt, ut quo majus faciens designaverint, hoc ipsæ animosiores & confidentiores sint. Sed forte quæris, unde oriantur, & ex quo fonte, è quâ causâ proficiscantur talia scelerum monstra & portenta. Dicam tibi, ex longa pace, ocio, rerum copia & adfluentiâ. Cum res Romanorum prisco sæculo humilis adhuc & exigua erat, tum Italæ Romanæ mulieres

lieres castæ & pudicæ vivebant, & labor assiduus, nocturnæ vigiliæ, & lanificium, & assiduum opus in trahenda lanâ Thuscâ, quo manus exercitatæ & induratæ erant, & Hannibal ad tertium ab urbe lapidem castra sua metatus, & mariti in collina urbe contra Annibalem stantes, & excubias agentes, non permittebat humiles & parvas tum temporis domos à vitijs & libidine imprimis & turpitudine infici, & contaminari. Iam vero omnia mala ex longâ pace inter nos nata sunt, & luxuria atq; libido omnibus armis & hostibus sævior nos invadit & oppugnat, & mundum quem Romani subegimus ulciscitur, nosq; vicissim devictos in triumphum abducit. Adeoq; ex quo tempore Romani pauperes esse desiernnt, magnasq; opes summamq; potentiam consecuti sunt, nullum magnum crimen, nullum atrox libidinis facinus à notis abest. Hinc nimirum ex pace, omnium rerum copiâ, & adfluentiâ ad hosce septem urbis Romæ colles vicinorum populorum luxus & libido, ut Sibaritarum, Rhodiorum, Milesiorum, & Tarentinorum qui inter potandum coronis ornati & petulantes vino unguentoq; diffluunt, fluxit, & ad nos manavit. Atq; adeo pecunia illa obscœna, quæ vitam hominum nullâ non libidine contaminat omnium prima turpes Græcorum mores in urbem Romam invexit, & divitiæ molles turpi luxu vitam hominum corruperunt. Mulier enim quæ ex ebrietate ad libidinem excitatur, quæ media nocte cum unguenta quibus delibuta est, vino Falerno copiosè bibito spumant & effervescunt, quæ cum capaci vaso conchâ bibit, seq; in

tantum inebriat, ut tectum in gyrum circumagi videatur, & lucerna & omnia quæ in mensa cernuntur bina esse appareat, grandia ostrea libidinis fomenta, ut ad venerem promtior sit, devorat: Talis profecto mulier facile omnem honestatem contemnit, nihil curat & pensi habet, & inguinis & capitis quæ scelerata fellatrices conjungunt, discrimina ignorat. Cum autem pessimæ illæ bestiæ adeo inebrientur, ita se ad libidinem exstimulent, nihil est quod dubites, quales fellatrices inter se sint, quo narium sonitu Tullia illa infamis Spiritum per nares hauriat, dum os lambendo est occupatum, quæ turpia & obscœna verba Collatra infamis alteri infami mulieri Maneæ propter stupri & crissationis consuetudinem sibi cognitæ dicat, dum illa veterem illam & venerandam pudicitiæ aram prætergreditur. Ad hanc enim pudicitiæ aram impudica illa mulierum monstra nocte conveniunt, hic lectiças suas ponunt hic inter se concumbunt, & statuam pudicitiæ longis urinæ & vesicæ meatibus mejendo polluunt & contaminant, hic alternis vicibus sese adscendunt & equitant, & ad lunæ lucem à se inviem subiguntur, & moventur. Postea ubi pudicitiam suam tam religiosè coluerunt domum rursus abeunt. Tu miser marite cum mane surgis ut magnos tuos patronos invisas, & sportulæ gratia salutes, aram q; pudicitiæ præteris, conjugis tuæ urinam quam ibi nocte sparsit inter ambulandum pedibus conculcas. Et levia adhuc hæc quæ memoravi. Scelera & flagitia, quæ in religiosis illis Bonæ Deæ sacris secreto à mulieri-

lieribus perpetrántur jam omnibus nota sunt, cum in his sacris ad tibiam saltant, & libidine in furorem datæ, olstupefactæ & attonitæ, cornu inflato, & vino, quod ad furorem usq; perpotárunt, exagitantur & feruntur, & tanquam furiosæ mœnades non quidem Bacchi sed Priapi crinem sparsum Bacchantium more in gyrum circumagunt, & cum ululatu ebriæ & libidine furentes resonant. O quam ardenti concubitus desiderio tunc tenentur, quam lasciva & obscœna illorum vox est, cum libidinis prurigine subsiliunt, quàm abundè verò ob libidinis impatientiam ab illis potis & libidine furiosis urina quam retinere nequeunt, inter saltandum emittitur, quàm copiosus urinæ fluxus per madida crura demittitur. Hic vero postea olisbo armatæ, inter se concumbunt; Hic Lanseja matrona Romana meretrices lenonum prostitutas præmio quodam proposito in hoc concubitus certamen provocat, & inferiori loco jacens patiendo omnes meretrices fatigatas vincit, & propositum victoriæ præmium aufert. Deinde ipsa superiori loco agens fricationem & libidinosam pruriginem Medullinæ inferiori loco sese moventi flexo genu incumbens excitat. Et inter has quidem dominas virtus & robur in obscœno illo opere palmam & victoriam in hoc certamine, cum generis nobilitate & natalibus comparat, ut quo quæ in actu illo fortior hoc etjam generosior habeatur. Non autem existimes illos simulacra libidinis exercere, aut inter se ludere. Nam verè & carnaliter inter se concumbunt, & tanta quidem lascivia,

ut illo spectaculo etjam senex Priamus, & ter senex hernioſus Neſtor ad libidinem erigi & excitari poßit. Tum verò cum ſaltatione, vino, obſcœnoq; illo actu & ſpectaculo ad libidinem probe ſe inſtigarunt, tentigo libidinis immenſa ulterius moram ferre & virorum abſentiam exſpectare non poteſt. Et femina tandem Tribas olisbo armata incaſſo illo labore ſupplicem feminam ſe eſſe, & nihil virile præſtare poſſe animadvertit. Ob id viros deſiderant, & pariter in univerſo illo antro omnes & ſingulæ frequenter clamare incipiunt. Iam finitis ſacris fas eſt viros admittere, anne jam adulteri dormiunt, qui nobis operam dare conſueverunt. Ibi una mulierum miſsâ famula jubet juvenem adultero cucullo ſumto ne cognoſcatur ad ſe feſtino accedere. Si juvenis fortè non adſit, ſervi ſollicitantur, Si ſervorum quoq; adventus nulla ſpes ſit, tunc viliſſimus aquarius veniet, ut dominæ ſuæ libidini ſatisfaciat. Hic quoq; ſi non invenitur, & homines nulli adſunt, illa nullam moram facit, quin per extremum ſcelus vel ab aſello ſe ſubagitari patiatur, ut ita quoq; modo libidini ſuæ ſatisfiat. Et optandum foret veteres ſaltem religionum ritus, & publica ſacra hiſce libidinibus ac ſceleribus non contaminari. Iam verò non Romanis ſolum, ſed omnibus etjam remotiſſimi populis Mauris atq; Indis ſatis notum eſt, quod P. Clodius ſub Pſaltriæ habitu cum ingenti ſuo pene, (quo major fuit, quàm duo Auticatones libri à Cæſare ſcripti in cylindri formam circumvoluti) in ſacra Bonæ Deæ, quo viros accedere nefas eſt,

(Ad

(Ad quem locum vel mus masculus, qui sciat se testiculum habere, non intrârit, & in quo loco virorum & jam picturæ propter singularem sacrorum venerationem velari solent) penetravit, ibiq; Pompejam Cæsaris uxorem constupravit. At verò prisco sæculo, quanta religio, quanta sacrorum observantia fuit. Nemo tunc inventus, qui Deum contemneret, qui Simpuvium Numæ, vile vas, in sacris adhibitum, & catinum ex nigra terrâ factum, & fragiles patinas sacrorum in monte Vatreano factas irridere auderet: Verum nostro tempore ad omnes aras, templa, & sacrificia Clodij similes inveniuntur, qui impietate & adulteriis illa fædant & contaminant. Nec ulla medicina malo huic potest fieri. Scio equidem quid veteres amici moneant & ante multa tempora faciendum censuerint, Januas ferro esse claudendas, & mulieres in conclavibas conclusas adhibitis custodibus coërcendas esse, ne exire possint. Verum quis ipsos custodes custodiet. Cauta & dolosa est mulier, & ab illis custodibus incipit adulterium suum, qui postea dominam suam cum quibusvis rem habere permittent, eamq; nunquam prodent. Atq; adeo quod demirandum est omnes in eodem malitiæ & libidinis ludo edoctæ sunt, eadem libido pariter inest in maximis & minimis, divitibus & pauperibus, nec melior est mulier paupercula, quæ suis pedibus pavimentum lapide stratum perambulat, quam ditissima matrona, quæ à proceris servis lecticariis Sytis in lecticâ gestatur & circumvehitur.

Ogulnia mulier tennis & paupercula, ut nobiles quosq; mœchos ad se alliciat, se divitem simulat, & ut ludos in Circo & Theatro spectet, conducit pedissequas quæ se comitentur, conducit sellam cum servis sellarijs, quæ se tanquam nobilem gestent, conducit cervicat in sellâ, amicas & clientas, nutricem aliquam suis liberis, & comtam aliquam ancillam, cui tanquam domina imperet, & mandata det. Quæ licet pauper admodum sit, tamen quidquid habet, quidquid adhuc ex paterna hereditate argenti restat, & ultima vasa & utensilia imberbibus & formosis athletis adulteris suis, ita ut nihil reliquum habeat, donat. Et multæ sanè mulieres sunt pauperculæ, sed nulla mulier pudorem castitatem, continentiam, quæ virtutes paupertatem comitari solent, habet, nec se intra limites & metas paupertatis, quas illa unicuiq; præscribit, metitur. Omnes illas metas luxuria & libidine excedunt. Interdum tamen viri miseri, continentiam & frugalitatem colunt, & quid sibi utile sit, prospiciunt, & contra frigus & famem de victu & amictu saltem formicæ exemplo sollicite cogitant. Contra vero prodiga mulier non animadvertit immodicis sumtibus res & opes suas imminui, sed non secus ac si in evacuatâ & inani arcâ numus redivivus rursus crescat, & ex inexhausto pecuniæ acervo, qui nunquam absumi possit, semper sumatur non animo secum perpendit, quantus sumtus luxuriâ, voluptate & gaudijs consumatur. Sunt aliæ quædam mulieres, quas imbellium Eunuchorum mollia oscula sine ullâ barbæ

asperi-

asperitate, quæ in Eunuchis nunquam sperari potest, semper delectent, eo quod nō impregnentur ab ipsis, nec opus habeant conceptum partum rursus abigere, cum partus dolores subire nolint. Quamvis autem Eunuchi castrati sint, tamen summam ex illis voluptatem capiunt, quia talium Eunuchorum testes chirurgis eximendi traduntur, cum jam maturi, & calidi sunt ex juvenili ætate, cum Eunuchi jam pubescere incipiunt, jamq; pecten nigris crinibus obduci incipit, & deniq; cum illorum membra ad justam magnitudinem excrevērunt. Ergo cum illis testes tam diu crescere permissi sunt, postquam ad suum justum pondus pervenerunt, & duarum librarum facti sunt, tunc Heliodorus castrator illos testes eximit, nullius damno & fraude nisi tonsoris, eo quod castratis barba non crescit, quem tonsor detondens aliquid lucrari posset. Ceterum membrum pedale ipsi relinquitur, quo talibus mulieribus satisfieri potest. Vtiq; si domina ipsum spadonem fieri curavit. Eunuchus enim, qui à domina factus est, in balneis ab eâdem è lectus & probe à naturâ armatus est, & ob membri sui enormitatem omnium oculos in se convertens balnea confidenter ingreditur, & vel ipsum Priapum vinearum & hortorum custodem membri magnitudine provocare & superare possit. Talis Eunuchus, ó Posthume, cum uxore tuâ Iberinâ dormiat, quæ tali oneri ferendo par esse poterit. Ceterum Bromium illum pusionem tuum, quamvis jam provectiorem & puberem noli huic Eunucho committere. Nam plane illum tibi corrumperet atq;

perderet. Si mulier cantu gaudeat, tum nullius cantores, qui in ludis prætoris pro mercede constituta cantare solet fibula in obscæno membro durat, quin statim dato à muliere concubitus precio à cantoribus solvatur. Organa Musica semper ei versantur in manibus, digitis annulis & preciosis gemmis ornatis pulsat testudinem, aut chordas citharæ crispo plectro, quo molles ille Hedymeles citharædus usus fuit, ordine pulsit. Hoc plectrum in manu tenet, illo se dum citharædus adulter abest, consolatur & plectrum illud, ob Hedymelem absentem mœchum gratum exosculatur & amat. Quædam mulier nobilissima Lamiarum gente, magni & superbi nominis integro sacrificio farris & vini oblato Ianum & Vestam interrogabat, an Pollio citharedus adulter suus in certamine in honorem Iovis Capitolini instituto victoriam sperare, & chordis citharæ sua polliari posset. Age quid plus aut majus facere potuisset, si maritus suus ægrotaret, aut filiolus periculoso adeo morbo decumberet, ut me dici de ejus salute parum sperarent? Nimirum stetit ante aram, nec sibi turpe esse duxit pro citharædo adultero sacrificantium more caput velare, & verba ab Haruspice, ut mos est, ipsi dictata protulit & repetivit, & cum corpus agnæ per haruspicem aperiretur, ut situm intestinorum inspiceret, & inde divinaret, illa de haruspicis responso sollicita palluit, metuens & dubia an Pollio etjam victoriam consequi posset. Dic mihi jam ô Iane Divorum antiquissime, nunquid tu putidis his & impudicis mulieribus respondes? Certè

Certè si hoc facis, haud dubie nihil aliud habes, & ut video nihil est in cælo quod agas. Vna enim mulier de salute Comædi adulteri sui te consulit, alia Tragœdum mœchum suum tibi commendare volet; Si tu non defatigaris ó Iane, saltem haruspex defatigatur, qui multùm stando diem Deos & exta colit, varicosus fiet, eiq; sanguis deorsum in pedum venas decumbet. At satius est mulierem aliquam cantu delectari, quam vagam audacem & impudentem esse, totam urbem pervagari, & virorum cœtui & conventis sese inferre, & cum militum ducibus paludamento armatis, & in militiam euntibus etiam præsente marito libere sine ullâ verecundiâ & pudore & mamillis è sinu exsertis, loqui, & fabulari. Hæc enim eadem vaga & garrula novit quid in toto orbe fiat, quid populi à nobis remotissimi Seres & Thraces rerum gerant, Hæc in urbe novit, quid noverca cum privignis secreto agat, quis adulter alterius conjugem amet, quis ab illâ, quam amat decipiatur. Hæc Cometam quæ Partho & Armenio regi pericula & clades minitatur omnium prima in cælo observavit, Hæc famam, rumores, & omnia deniq; nova ad portas à peregrè redeuntibus excipit, & curiosè scisciatur, & postea alijs quovis loco & unicuiq; obvio, refert, & narrat Niphalem Armeniæ fluvium quosdam populos aquâ obruisse, & illic in Armeniâ omnia arva magno diluvio inundari, urbes terræ motu nuta-

motu nutare & ruinam minitari, terras deorsum subsidere, & pessum ire. Nec tamen hoc curiositatis vitium intolerabilius & pejus est, quam illud quod sequitur, immanis sævitiæ & crudelitatis, quando pauperes vicinas ob levissimam quamq; caussam ad flagra crudeliter rapit, & loris concidit, etiam cum exorata & quodammodo placata est, alias illos prorsus occisura. Nam si vicini canis latratu ex alto somno forte excitata sit, tunc mane surgens, heus famuli inquit ocyus huc fustes adferte, hisce allatis primo dominum, deinde canem probe pulsari jubet. Occursu terribilis est & iracunda, vultu torva & immitis, domesticis præsertim. Noctis tempore importuné lavat, noctis tempore balnei supellectilem, vasa, ampla, & instrumenta balnearia ex uno loco in alium transferri jubet, magno postea strepitu in balneo sudorem sibi excitat, plumbeam massam variè jactat & agitat. Hac massa ubi se diu exercuit, & tandem satis sudavit, ejus brachia delassata sunt, & unctor versutus & callidus inter inungendum cristæ pectinis dominæ suæ inserüit & impressit, & obscœnum mulieris membrum inungens sonitum edere & crepare coegit, Interea miseri convivæ, quæ dominam è balneo redeuntem exspectant somno & fame vexantur. Tandem post longam moram & cunctationem ex calore post balnea subrubens venit totum vas vinarium sitiens & exsiccans, quod ex plenâ urnâ ante pedes in pavimento positum à ministris ipsi bibendum porrigitur, de quo unum & alterum sextarium ductim exhaurit antequam

quam cibum capiat, quo & magnum cibi appetitum sibi excitat, & stomachum sibi purgat, dum vinum per vomitum redit, & abluto purgatoq; ventriculo per os decidens terram ferit. Hinc ex tam obscæno vomitu rivi in pavimento nati properanter currunt, aut capax pelvis, quâ ministri vomitum excipiunt, Falerno vino per vomitum rejecto, fœdissimè olet. Adeo enim avidè bibit & rursus quod bibit vomitu rejicit, ut longi serpentes vini avidissimi, cum in alta dolia lapsi sunt, bibere & vomere solent. Hinc maritus, ob vomitum obscœnum nauseâ adficitur eiq; stomachus subvertitur, & ob nauseam oculos contrahit, & substringit. Talis mulier licet gravissima & intolerabilis sit gravior tamen adhuc illa est, quæ cum ad mensam cum reliquis discumbere cœpit, doctrinam suam ostentat, de auctoribus & Poëtis iudicat, Virgilium laudat, excusat Didonem, quod abitu Aeneæ mœsta perire & mori decrevit, vates Græcos & Latinos inter se comparat, & confert Maronem cum Homero, & uter horum melior sit suum judicium profert. Et dum hoc facit nimis verbosa est, Grammatici quamvis loquacissimi illi concedere coguntur, Rhetores & rabulæ vincuntur, omnis convivarum multitudo illa loquente tacet, garrulitate causidicum, vocis vehementia præconem, & omnes alias mulieres superat. Nam tanta verborum vis & copia à muliere profertur, ut tot pelves & tintinnabula pariter pulsari dicas, dum illa loquitur. Atq; adeo si luna incantationibus laboret ac deficiat non opus est tubas inflari, pelves atq; æra auxilia-

xilia-

xiliaria pulsari, ad abigendum fascinum. Nam hæc una mulier sua dicacitate lunæ laboranti succurrere potest. Quin etjam sectam de se instituit, & finem certum tanquam summum Bonum rebus honestis adsignat, tanquam sapiens. Nam quæ docta & eloqueus tanquam Philosophus videri cupit illa etjam virorum Philosophorum more cruce medio tenus vestes suas debet succingere nec ut mulier Cereri, sed ut vir Philosophus Silvano arvorum & pecorum Deo porcum sacrificare, & pro quadrante lavari. Non talis sit matrona illa quæ matrimonio tibi conjuncta recumbit, nec Rhetorum more certum aliquod dicendi genus, grande, medium, humile adfectet nec concisum illud & succinctum dicendi genus adfectet, ut breves & acutas sententias in sermone suo torqueat & jaculetur, neq; omnes historias sciat & perlegerit, sed quædam tantum sciat ex libris, neq; tamen intelligat. Odi ego hanc mulierem quæ minus docta est, quæ artem Palæmonis Grammatici, sedulo studet & meditatur, ut nimis curiosè observet analogiam & legem loquendi à Palæmone sibi præfixam, quæ antiquaria sit, & antiquos Poëtas venerans ignotos mihi versus ex illis recitare possit, quæ reprehendit verba amicæ suæ, quæ minus eleganter loquatur, quam ob id Opicam & barbaram vocat, & quæ verba minora tamen sunt, quam ut à viro gravi curentur. Saltem viro vitioso loquenti parcat, & liceat ipsi sine reprehensione conjugis ex imprudentia Solæcismeum facere. Nimirum mulier talis superba omnia sibi licere putat,

nihil

nihil sibi turpe existimat cum jam vestium suarum ornatum adhibuerit, cum monilia ex viridibus gemmis collo suo circundedit, & auriculis suis ponderosis inauribus extensis & deorsum tractis oblongos uniones & Elenchos commisit & adpendit. Sane nihil intolerabilius & molestius est, quam dives femina, quæ dote imperium sibi emit, & cui maritus miserrimè inservire cogitur. Interea dum dives omnia sibi licere existimat, aspectu fœda & celerrima est, ejusq; facies ad pulcritudinem & candorem cutis sollicitandum multa panis lacte asini subacti incrustatione ridicule inducta tumet, aut odorem pinguium unguentorum, quæ Poppæa Neronis invenit, spirat. Hæc dum apud maritum est, non abluit, & hinc miseri mariti labra dum illam osculatur viscantur & conglutinantur. Contra ad mœchum accedit lità cute, omnia faciei medicamenta abluens. Domi enim apud maritum formam suam nihil curat. In mœchorum autem gratiam foliata unguenta preciosissima sibi parari curat, Et ut his mœchis placeat, emit omnia illo aromata, quæcunq; ex Indiâ ob Solis æstum macri & tenues, huc Romam advehuntur. Tandem cum ut dixi ad mœchum accedit, vultum aperit, incrustationes panis removet, & agnosci, incipit, seq; & formam suam illo lacte fovet, ob quod lac habendum semper apud se asellas educit, si etjam apud Hyperboreos sub axe septentrionali ipsi exsulandum sit.

Verum

Verum illa facies mulieris quæ tot medicamentis variis & diversis illinitur & fovetur, & quæ tot offas panis lacte asinæ madidi adhibet, Est ne facies, an verò hulcus dicenda ? Cum ulcera medicaminibus, incrustationibus & offis curari soleant. Dignum autem profecto consideratione est perpendere quam rabiosâ crudelitate sæviant in miseros servos & ancillas, si forte maritus noctu libidini suæ non satisfecerit, & jacens faciem ab ipsa aversam habuit, tum serva lanipendia verberibus pænè occiditur, Cosmetæ quæ vestes dominæ suæ & mundum curant, exuunt vestes ut nudæ virgis cædantur. Servus lecticarius Liburnus, si quo missus sit, tardè redisse dicitur, & ob id vapulat, & quod dominus noctu dormierit, suo tergo dies pendere, cogitur. Hinc in dorso suo dum verberatur ferulæ franguntur, ille alter flagris tamdiu cæditur donec rubeat, & sanguis sequatur. Sunt quædam crudelissimæ bestiæ, quæ carnificibus quotannis annua salaria præstent, ut cum iratæ sint, præsto adsint, & quos velint, flagellent. Curat miseros suos domesticos verberari, atq; obiter quasi aliud agens faciem suam fucat, cum amicis suis fabulatur, vel preciosas suas vestes acu pictas & auro intertextas considerat & contemplatur, & interea dum alios flagellari curat, recognoscit interea rationem omnium, quæ illo die peracta sunt, & tam diu domesticos cædi curat, donec carnifices qui cædunt verberando defatigentur. Et tum demum exi, inquit, nequam pessime horrenda voce per modum tonitrus horribiliter quasi intonat,

postquam

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0146
DFG

postquam judicium ibi quasi peregit. Certè in tali domo gubernatio nihilo melior & mitior est, quam olim in aulâ Siculâ tempore Phalaridis & Dionysiorum crudelissimorum tyrannorum. Si enim talis mulier aliquanto accuratius & decentius, quàm solet, ut mœcho suo placeat, exornari cupit, & ad mœchum, à quo exspectatur, in hortum properat, vel potius in templũ Isidos deæ lenæ, & suas cultrices prostituentis: Tum misera ancilla Psecas capillis à furiosâ dominâ sparsis & dilaceratis, nudos humeros & mamillas habens, cum paullo ante à dominâ cæderetur, horrida & incomposita ipsa, crinem dominæ suæ componit. Cum vero in speculo contemplatur vel unum capillum altius exstantem, statim horrenda voce exclamat: Quare non ubiq; æqualiter capillum mihi composuisti? quare hic cincinnus, altior est cæteris? Ibi vero statim taurino pene ancillam invadit, & punit magnum illud crimen & facinus, quod capillus flexus & inæqualis relictus sit. Verum heus tu crudelis furia: Quid misera ancilla Psecas admisit, & quænam ejus culpa & peccatum est, si tu fœda & deformis es, & tibi ipsi non satis places? Interea dum ita exornatur, matrona quædam senior quæ ob visus debilitatem jam à nendo cessat, & acu quasi emerita lanificio admota est, illa ejus est consiliaria, cum sententia de ornatu suo dicenda. Hæc ergo in consilium admissa prima est, quæ sententiam suam dicat de ornatu dominæ suæ. Post hanc seniorem & prudentiorem juxta ordinem ætatis artis ac prudentiæ, ut in magnis consiliis fieri consuevit

fuevit, reliquæ singulæ sententias suas dicent. Non secus ac si periculum agatur de famâ, vitâ atq; animâ. Tam magni nimirum precij esse censetur cura de pulcritudine & decore formæ quærendo. Interea tot fascijs ac tricis capillorum in ordinem exstructis, tot ordinibus & contignationibus altum suum caput exædificat, ut si illam à fronte videas, illam excelsam & proceram viraginem esse censeas, qualis Andromache Hectoris uxor fuisse perhibetur. Sin à tergo illam videas, tunc minor apparebit. Verum da & concede hoc parvis illis mulieribus, illisq; indulge, per artem caput suum ita ædificare, ut si natura brevioris sint staturæ, & breve spacium parvi corporis consecutæ sint, &, si nullis altioribus calciamentis adiutæ, breviores videantur Pygmæâ aliquâ virgine, quæ cubitum tantum exæquet, & si ob breve corpus levis & agilis, ad oscula mæchi plantâ sursum erecta, & talis innixa consurgit. Interea dum nobilis illa & dives matrona ita se linit, colit, laute ornat, curat, virum prorsus negligit, & prorsus nihil curat, nec recordatur, quæ damna maritus ex tot impensis sumtuosæ & prodigæ mulieris patiatur. Imo verò nihilo familiarius cum marito vivit, quàm si vicina viri sui esset, non conjux. Hoc uno & solo non tanquam vicina viri sui est, sed tanquam proxima, quod amicos & servos mariti sui odit, & immodicis suis sumtibus rationibus domesticis gravis & molesta est. Quid dicam de superstitione mulierum? Ecce autem Minervæ furentis, & matris Deum Cybeles sacerdotum chorus, & Sum-

& Summus Pontifex inter illos ingens Semivir & Eunuchus, reverendus inquam summus sacerdos, qui obscænum corporis membrum minus habet, Vtpote qui fractâ testâ lapideâ mollia membra genitalia & testes sibi præsecuit & jamdudum amputavit, cui in rauca illa Sacerdotum Cybeles Eunuchorum cohorte summus honor exhibetur, cui tanquam Antistiti vulgares Sacerdotes, qui in sacris tympana pulsant, cedunt & magnum honorem exhibent, & cujus mentum Phrygio pileo tegitur; Ille inquam ingreditur, & grandi voce superstitiones suas inculcat, & prædicit, si quæ mulier centum ovis Sacerdoti datis se non lustraverit, & detritas Xerampelini coloris vestes ipsi non donaverit, (ut ita quidquid ex improviso supervenire posset adversi, toto sequenti anno illud expiatione in veteres vestes averruncetur, & totum annum futurum quasi expiet) fore ut mensis Septembris, & Auster illo mense flans, ipsi febrim, pestem, morbum, & mortem adferat. Mulier autem superstitiosa, hæc omnia credit, & Sacerdoti obtemperat. Quæ si Sacerdos candidæ Isidos jusserit, omnia, & illa adeo, quæ etjam cum vitæ periculo conjuncta sunt, promtè exsequetur, Et hiemis tempore fractâ glacie in fluvium descendet, & ter Tyberi tota se immerget, & superstitiosum suum caput in medio gurgite Tyberis fluminis abluet, Postea totum agrum Tarquinij Superbi Marti consecr tum nuda & tremens cruentis manibus & pedibus perrepet. Imo verò vel ad extremos terminos Ægypti

ibit, & ibi ex Meroë calidissima regione aquas petitas reportabit, ut illas in templum Isidos, quod antiquo ovili in Campo Martio proximum ædificatum est, spargat. Nam cum sacerdos ipsam aliquid jubet, tum credit se ipsius Deæ Isidos voce admoneri, illamq; sibi hoc insomnis imperare; nimirum tu mulier adeo impudica & flagitiosa digna es, cum quâ Dij nocturno tempore per somnium loquantur. Hic igitur Isidos antistes, qui gregę sacerdotum calvo, etjam candido lenteamine induto circumdatus est, & qui in Isidos sacris Anubidis canis personam sustinens, populum cum plancta Apim bovem quærentem irridet; ille præcipuum & summum apud has superstitiosas mulieres honorem promeretur. Hic summus Sacerdotum antistes ab Iside veniam petit, quoties uxor à concubitu viri festis diebus per novem dies celebrandis non abstinet, & mulieri persuadet, se magnam pœnam promeruisse, si illis diebus membri muliebris velamen remotum esset, & concubitus factus. Quamvis autem culpa gravis sit, tamen interceßione illius sacerdotis serpens in templo Isidis argenteus caput movisse in signum veniæ visus est, propter illius sacerdotis lacrumas, cujus nimirum tacita murmura & preces hoc efficiunt, ut Isis veniam culpæ indulgeat. Quasi verò Deus Osiris victimâ anseris, & tenui rotundâ placentâ corruptus à pœnâ debitâ abstineat. Cum hic Isidos sacerdos abijt, tunc Iudæa copbinum & fœnum, pauperculam suam suppellectilem relinquens, Hierosolymitanarum legum

gum interpres, & velut magna sacerdos Dodoneæ sub fago oraculo reddens, utpote in sylvâ Aricinâ degens, & certè ac fideliter Deorum nuntia ad homines, hominum ad Deos deferens, illa Iudæa, inquam, illi sacerdoti succedit, & in secretam aurem clam ipsi aliquid insusurrat, & ab ipsa stipem emendicat. Mulier autem superstitiosa huic quoq; munere aliquo manum implet, sed parciùs. Iudæi enim quæcunq; voles insomnia & nugas, minuto ære tibi vendere non gravabuntur. Porro Haruspex aliquis ex Armeniâ, vel Commagenus ex Syriâ, cum intestina vivæ & palpitantis columbæ adhuc inspexit, tali superstitiosæ mulieri, si libidinosa sit, tenerum aliquem & formosum amatorem spondet; si avara, ingens testamentum alicujus divitis orbi; quando pullorum & catelli intestina inspicit & rimatur; Interdum etiam pueri per extremum facinus, & patrabit infanticidium, quod judicio suo postea detegat, ut delationis propositum pretium consequatur. Chaldæis verò Astrologis, longè major fiducia adhibetur à superstitiosis mulieribus. Adeoq; quod Astrologus dixerit, illud credunt ex sacro Tripode & Iovis Ammonis fonte profectum, ut ita Astrologi oraculorum defectum suppleant, siquidem oraculum Delphicum jam cessat, & futuri ignorantiâ genus humanum condemnat. Inter quos tamen Astrologos ille præcipuus est, qui ob vaticinia sua sæpius quam reliqui in exilium conjectus, & ob vaticinij eventum revocatus est, per cujus amicitiam, &

tabulas astrologicas magno pretio ab Othone, cui contra Galbam victoriam pollicebatur Servius Galba magnus civis Romanus & imperij æmulus ob id Othoni formidabilis, in prælio interemtus obijt. Hinc mirum astrologiæ arti fides habetur, si astrologi manus ferreis manicis, pedes compedibus vincti sonuerunt; si in Castrensi carcere diu captivus & catenatus tractus fuerit; & quod eventus vaticinio fortè responderit, ab exilio rursus revocatus. Nemo Astrologorum, qui sic non aliquoties condemnatus fuit, genium futuris dignoscendis aptum habere creditur; sed ille demum qui pænè perijt, & suâ arte prope capitis periculum adijt; qui ob vaticinij atrocitatem vix dignus erat relegari, sed debebat statim occidi, & tamen tandem post longum exilium è parvâ Insulâ Seripho revocatus fuit. Hunc Astrologum superstitiosa tua uxor, velut Tanaquil Tarquinij Prisci uxor Astrologiæ deditiss'ma, consulit, de lento funere matris suæ Lethêre laborantis, & prius tamen de tuâ morte consulit, quem citiùs quam matrem suam mori desiderat. Consulit etiam quando soror & patruus morituri sint; an adulter diutiùs ipsâ victurus sit. Quid enim excellentiùs mulieri à Dijs dari potest, quam adulterum vel se mortuo esse superstitem. At hæc tamen superstitiosa astrologis dedita tolerabilior adhuc est, quippe quæ ipsa astrologiam ignoret, quid tristis Saturnus Planeta minetur; cum quo signo Venus orta fausta & benigna sit; quæ tempora ex syderum constitutione lucra, quæ damna adferant.

Contra

Contra verò pessimam illam mulierem, tanquam rem parum faustam evita, quæ ipsa astrologiam didicit, in cujus manibus Ephemerides frequenti usu manuum sudore & pinguedine tanquam succinum translucidas, attritas cernis; quæ nullum astrologum consulit, sed quæ ab alijs tanquam ipsa astrologiæ perita, consulitur, cujus vir sive castra petat, sive à militia domum repetat, non unà cum ipso proficisci vult, si per Ephimerides Trasylli videat, cæli faciem parum faustam esse; quæ si vel unum miliare lectica vectari cupiat, horam & opportunitatem ex Ephemeridibus sumit: si vel ocelli angulus digitis fricando vexatus rubeat & pruriat, prius inspicit suum thema, & tum demum oculi medicamina collyria adsumit. Licet morti vicina ægrota sit, & cibo sumto salvari possit; illum tamen non prius sumit, quàm librum Petosiris Astrologi Ægyptij consuluerit. Si mediocris fortunæ mulier erit, sortilogos consulet, & utrumq; spatium metarum sortium propositarum lustrabit & circumibit, & sortes inde educet; vel Chiromanticum & Metoposcopum adibit, eiq; manum & frontem introspiciendam præbebit, qui crebra oscula mercedis loco ab ipsâ postulabit. Divites, ut dixi, adhibent augures ex Phrygiâ, Astrologos ex Indiâ mundi & rerum futurarum peritos, constitutâ mercede ab illis conductos: aut seniorem aliquem Aruspicem, qui publicam fulgurum condendorum curam habet. Responsum de fato mulierum plebejarum, in circo & in aggere positum est,

ubi meretrices prostant, & ubi meretrix quæ nudo collo aurum gestat in circo ante phalas & delphinorum columnas mulieri cauponariæ consilium dat, an priore marito caupone relicto negotiatori sagario nubere debeat. Et tamen hæ tenuiores superstitiosæ mulieres hoc unico adhuc excusari possunt, quod partus discrimen subeunt, & paupertate urgente omnes nutricis labores & ærumnas æquo animo perferunt; at contra dives mulier, quæ aurato lecto jacet, nunquam jacet in puerperio. Tantum nimirum obstetricis venefica malæ artes, & venenum partum extinguens potest & valet, quod tales nobiles matronas aut steriles facit, aut si conceperit, pro mercede conducit veneficas, ad homines in utero matris conceptos & formatos necandos. Tu autem, ô miserrime marite, cum uxor tua abortum facit, gaude, & non dole; quin ipse quicquid erit, veneficij vel potionis ad abigendum partum ipsi bibendū porrige. Nam si uxor tua gravida fieri & parere vellet, tunc tu fortassis Mauri cujusdam pater dicereris, & postea nigrum hunc & decolorem filium, non tuum, sed servi Æthiopis tanquam tuum ex testamento institutum hæredem constituere cogereris, qui matutino tempore nunquam tibi videndus esset; eò quod mali quippiam portendere credatur, si talis mane primus occurrat. Nihil dicam jam de pueris inventitijs, & maritis tanquam veros & genuinos suppositos; cum tales bestiæ se gravidas fingunt, & maritis tales inventitios, tanquam ex se natos legitimos, demonstrant, & decepti

viri

viri pro suppositis, & ex spurco Velabrensi lacu, ubi tales exponi solent, petitis, vota & preces tanquam pro proprijs faciunt. Pro suppositis, inquam, qui nobilißimorum Romanorum liberi postea esse creduntur, & Scaurorum nomina ferunt, sed falso corpore, quod non à Scauris, sed ganeone fortè habent. Fortuna improba & temeraria, nocturno tempore nudis illis expositis infantibus astat, & cum favore arridet, hos omnes tanquam suos filios fovet, & materno affectu sinu suo involvit; postea eosdem altis domibus inhabitandis porrigit, & sibi secretum aliquem mimum ex humili altum, ex obscuro nobilem, ex paupere divitem facit; & his deniq; se & sua bona largiter ingerit, suosq; alumnos miserrimos, ad summos honores, maximas divitias producit. Et hæc quidem gravißima sunt, sed veneficia & parricidia, quæ sequuntur, longè adhuc atrociora sunt. Alius enim necromanticas incantationes ipsis adfert, alius Thessalicæ philtra ipsis vendit, quibus mariti sui mentem de sanitate rationis deturbare, illum sibi subÿcere, ejusq; nates sandalio pulsare possint. Quod enim desipis & parum sanus es, ab hujusmodi poculis amatorijs ab uxore tibi datis provenit. Inde animi stupor & caligo, & magnus memoriæ lapsus etjam in illis rebus, quas paullo ante gessisti. Verum stulticia, stupor, & oblivioſitas, tolerabilia adhuc sunt, si non omnino insanire & furere incipias, ut Neronis ille avunculus Caligula, cui Cæsonia uxor totam illam carunculam, quæ pulli equini recens nati & tremuli

fronti adhæret, philtri loco infudit. Si autem Imperatoris conjux hæc fecit, quid ni multo magis aliæ mulieres idem faciant? Vniversa in imperio Romano tanquam igne quodam imperatoris ardebant, & vinculo imperij quasi fracto & soluto ruebant, non aliter quam si ipsa Iuno cestu Veneris sumto maritum suum Iovem (ut est apud Homerum) insanum fecisset. Tolerabilius ergo est peccatum Agrippinæ, quæ Claudium Imperatorem conjugem suum, boleto prorsus interemit, quàm Cæsoniæ quæ Caligulam furiosum reddidit. Boletus enim ille unum Claudium è medio sustulit, idq; senem sexaginta quatuor annorum, cujus caput tremulum, & rictum semper spumantem, humidasq; nares per mortem in cœlum jussit ascendere, & Deorum decreto postea ad Inferos deturbari. Contra illud Cæsoniæ poculum furore Imperatoris multos ferro necavit, multos igni combussit, & deniq; sine discrimine ordinem senatorium, equestrem & plebejum laceravit. Tantum nimirum mali intulit unum Hippomenes pulli equini, quantum ab unâ veneficâ proficisci potest. Quod mulieres Romanæ de pellice natos oderint, illud leve vitium est, quod nemo magnopere damnat & reprehendit. Verùm jam immerentes & innoxios prævignos cum è medio tollunt existimant peccatum non esse. O vos pupilli, qui patre mortuo sub tutore, & paullo numatiores estis, vos ego etjam atq; etjam moneo, vitæ vestræ curam agite, & nulli cibo à novercâ dato credite; nam etjam à propriâ matre pinguia ferculâ liventi veneno infectâ,

infecta, & proprijs liberis data, admodum frequentia sunt. Nam quidquid mater quæ peperit, filijs comedendum aut bibendum porrexit, illud necesse est, ut pueri custos, metu veneni timidus præguſtet, & prælibet. At dices forte quod hæc tanquam Tragica mulieribus affingam, & illorum limites & terminos, qui ante me Satyras scripserunt, prætergressus, Tragœdiam scribam, incredibilia proferam, quæ finxisse videri possim, & sublime carmen Tragicum magnâ vocis contentione & hiatu ut Sophocles & Euripides nobilissimi Tragici, irâ & indignatione furiosus debaccher, & quale Tragicum carmen Rutilorum montibus & cœlo Latino & Italico prorsus ignoratur. O utinam hæc fingeremus! utinam vani & fallaces essemus! sed non sumus Nam Pontia se hujusmodi scelera admisisse, & duos suos filios veneno absumere voluisse, ultro confitetur & clamat; Ego hoc feci, & filijs meis aconita præparavi, & quæ venena à me præparata palàm deprehensa patent, ut ulteriori quæstione nihil opus sit. Et facinus tamen peregi, quia occidere volui. Heus tu crudelissima bestia, & savissima vipera, tune duos filios unâ cœnâ absumere voluisti? Imò, respondet hæc, ego vel septem filios occidissem, si tot habuissem. Certè cum hæc exempla Tragica in mulieribus Romanis considero facilè fidem adhibeo Tragicis illis, quæ de Procne & Medeâ crudeli & immani referunt, quarum altera liberos in conspectu Patris

trucidavit, altera filium interfectum, dissectum, & coctum patri in cibum apposuit. Nil hisce concradico, concedo illa omnia prorsus verissima. Nam & illæ mulieres grandia scelerum monstra & prodigia, suo tempore perpetrare audebant. Verùm illud non fecerunt avaritiâ, ut jam fieri videmus, sed amoris vel iræ impatientiâ. Certè minus quis demirari debet scelerum illa portenta in mulieribus, quotiens amor aut ira hunc muliebrem sexum ad nocendum instigat, cum iræ & furoris rabie illas inflammante, in vindictam & scelus præcipites agitantur, & cum tanta animi concitatione & impetu feruntur, ut saxis non dissimiles sint, quibus inferior montis pars, cui incumbebant, subtrahitur, & magna montis portio recedit, à prono & ruinam minitante colle, quæ postea suo pondere ab jugo & summitate montium avulsa abripitur, & tam vasto impetu ruit, ut nullo robore humano inhiberi possit. Illa verò contra omnium pessima & intolerabilis est mulier, quæ non iræ aut amoris adfectibus inducta, sed sana, deliberato consilio & sciens ac prudens maximam scelus designat, & diu ante ratiocinatur, quo pacto scelus commodissimè perpetrare velit. Mulieres Romanæ in theatris quotidiè spectant singulare illud exemplum Alcestidis, quæ pro viro suo Admeto mori voluit, Cum ille gravissimè ægrotaret, & ex Oraculo disceret, quod nisi quis amicorum pro se mori vellet, brevi esset moriturus. Quod cum omnes recusarent,

ſarent, illa promtiſſimam ſe obtulit. Si verò Apollinis oraculo, noſtris mulieribus permutatio conſimilis daretur, ut ſuâ morte, alterius mortem poſſent avertere, mallent vitam catellæ, quàm in delitijs habent, ſervare potius, quàm viri ſui. Et ita Alceſtidem nullam Romæ invenies; Verum quoquò te in urbe circumagas, multæ tibi occurrent, quæ tales ſint, quales quadraginta novem Beli filiæ fuerunt, quæ juſſu patris filios Ægypti patrui ſui totidem ſponſos ſuos nocte unâ omnes trucidarunt; & qualis Eriphyle fuit, quæ Amphiaraum conjugem, ne ad bellum Thebanum proficiſceretur (in quo ſe moriturum ſciebat) latentem prodidit, & quaſi interfecit. Deniq; matutino tempore cum exis, nullus non vicus in urbe Româ adulteras mulieres, quæ maritos ſuos interfecerint, qualis Clytemnæſtra fuit, habebit. Hoc tantum intereſt inter Clytemnæſtram & noſtrates, quod illa inſulſa & ſtolida, maritum ſuum ſecuri, quam utraq; manu in caput conjugis impingebat, interfecerit; at noſtræ mulieres longè ſubtiliores ſunt, quæ poſſunt totam rem peragere exiguâ portione veneni ex rubetæ inteſtinis. Et tamen noſtræ mulieres etiam ferro maritos interimerent, ſi maritus infelix Agamemnoni ſimilis, veneno interimi non poſſet, & prudens ac providus antidoto illo contra venena ſeſe præmuniret, quo uſus fuit Mithridates Ponti Rex, qui à Romanis ter victus, cum ſe veneno interimere vellet

tet non potuit, quod corpus suum multis antidotis adversus hujusmodi venena obfirmasset, & à milite Gallo Bitocco demum occisus fuit.

FINIS PARAPHRASEOS SATYRÆ LIBRI SECUNDI.

Eilhardi Lubini

IN D. JUNII JUVENALIS SATTRARVM, LIBRVM TERTIVM

ECPHRASIS BREVIS ET PERSPICUA.



ROSTOCHII

Typis Stephani Myliandrini,
Anno 1602.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0161
DFG





Eximiæ exspectationis doctis-
simis juvenibus,

DN. HERMANNO & IOANNI WETKENIIS,

Patritijs Hamburgensibus, auditoribus meis studiosissimis, amicis carissimis.

QVod Iuvenalis Satyrarum libro tertio, de miserâ & iniquâ conditione virorum doctorum suâ ætate conqueritur, juvenes lectissimi, justiùs nostrâ ætate repeti & usurpari posse videtur. Vix enim inter tot proceres, exceptis paucis, quendam invenias, qui exsulantes Musas excipere,

L & re-

& rerum necessariarum penuriâ laborantibus succurrere magnopere curet. Et propemodum una.

Et spes & ratio studiorum in Cæsare tantum est.

Certè hoc nostro qui inter ōnes, quotquot historicorum monumentis repeti possunt, Imperatores, doctorū virorū Mæcenas & patronus est incomparabilis. De plerisq; reliquis Juvenalis noster respondebit:

Si qua aliunde putes rerum exspectanda tuarum
Præsidia: lignorum aliquid posce ocyus, & quæ
Componis dona Veneris, Thelesine, marito,
Aut claude, & positos tineâ pertunde libellos.

Nimirum qui suo patrocinio Palladium illud nutans fulcire & poterant & debebant, negligunt & securè contemnunt. Adeoque sine privatis quibusdam foret, qui suo exemplo studia promovent, & liberalitate fovent & tuentur, jamdudum Musæ, linguæ, & artes profligari & exsulare cæpissent. Quæ etiam caussa me impulit, ut hasce meas in exactissimum & accuratissimum hunc Satyricum explicationes nobilissimis & doctissimis juvenibus studiosis, auditoribus meis, qui suâ exem-

exemplo, diligentiâ & adsiduitate hæc talia promovent, inscriberem, quam alijs qui illa projecta & contemta pedibus conculcarent. Una enim mihi harum dedicationum caussa est, ut vobis, præclarissimo & laudabili Parentis vestri, magni & optimi viri, exemplo ad secretiora illa virtutis & Sapientiæ adyta, & politiora hæc optimorum ingeniorum ornamenta feliciter vestrâ sponte contendentibus, incitamentum adderem. Quicunque autem hasce meas inscriptiones aliversum rapit & interpretatur, male & sinistrè de meo ex suo ingenio judicat. Nihil enim mihi antiquius, quàm hunc accuratissimum morum censorem, hunc Poëtam citra controversiam exactissimum, quantum fieri possit, pluribus & familiarem reddere & commendare. Quod ipsum si impetrâro, finem & fructum meorum laborum optatissimum mihi consecutus, deque politiorum litterarum studijs vel hoc libello præclarè meritus mihi videbor. Qualecunque tandem sit,

vos ornatissimi fratres, boni consulite, & tuimini. Bene & feliciter Valete, Rostochij, Pridiè Calendar. Augusti, Anno 1602.

V. Studiosissimus.

Eilhardus Lubinus.



LIBER TERTIVS.

In Satyram VII.

ECPHRASIS.

MIsera profecto, si unquam alio, hoc nostro tempore, doctorum conditio, quibus sanè in uno & solo Imperatore Domitiano, in nullo præterea alio præsidium positum est. In ullo quippe spes, ratio, & caussa studiorum tantum constituta est, ut qui unus & solus mœstos ac famelicos Camænarum sectatores Poëtas misericordiæ quodam adfectu respexit, cum ex illis celebres ac nobilissimi etiam eò augustiarum redacti essent, ut in vilissimis opidis Gabijs, & alibi balneatoriam & furnariam exercere inciperent, imò verò alij non deessent, qui præcones fieri nullo sibi dedecori & turpitudini fore arbitrabantur. Vtpote cum Poetæ Cleiis & Musarum cultores Parnaso monte & Aganippes fontibus ac vallibus relictis, inopiâ coacti in atria sese conferrent, ut ibi præcones res reprivatas sub auctione publicâ venderent. Et quis iure hoc ipsis vitio

verterit? Sanè si ex Poëſi & Muſarum cultu ne numulum quidem lucraris, tuaq; arca vacua eſt, longè ſatius eſt te, ut Machæra facit, præconem vocari, & inde victum acquirere, & in foro turbæ circumſtanti res venales ſub auctione vendere: Vt ſunt Oenophori, menſæ, crepodes, repoſitoria, ſcrinia, & Poëtarum libri, ut Bacchi Tragœdia de Alcyone Ceycis vxore, cum marito in avem converſâ, Fauſti Tragœdia, de rebus Thebaicis, & altera de Tereo Procnes marito. Satius enim eſt te præconem fieri, teq; quoquo modo honeſtè ſuſtentare, quàm in judicijs per perjuria & falſa teſtimonia opes acquirere, ut illi faciunt qui ex Aſiâ, Cappodociâ, Bithyniâ, & alterâ Græciâ huc Romam olim nudis pedibus ſervi venales navi advecti ſunt, & talibus malis artibus equites Romani & ditiſſimi facti ſunt. Nemo impoſterum tamen quisquis excellens Poëta fuerit, & grande ſonorumq; Poëma concinnis & bene ſonantibus numeris condiderit, & dulcedinem coronæ laureæ guſtaverit, ſtudijs illis Poëticis fruſtraneum laborem impendet, ex quo Cæſar miſeros Poëtas clementer reſpexit. Vos ergò, ô Poëtæ, quibus præmia & gloria propoſita eſt, hoc agite, huc ad Cæſarem patronũ veſtrum vos conferte. Nimirũ Cæſaris munificentia undiq; circumſpicit, ut Poëtas inveniat quibus beneficiat, ſuâ liberalitate Poëtas ad ſcribendum inſtigat, & occaſionem Poëtis bene faciendi, deq; Poëtis bene merendi quærit. Quod ſi in reliquis etiam civibus Romanis, & non Imperatore ſolo, rerum tuarum ſubſidia & præſidia exſpectãda eſſe cenſes, & ob id membranæ

branæ croceæ tabulas carminibus impies, ut ab alijs quoq; adiuveris, frustra es? adeo ut longè satius sit te ô Telesine ocyus aliquid lignorum poscere, ignem accendere, & illa, quæ composuisti Vulcano tradere, aut libros tuos capsis includere, & abditos atq; sepositos tinais blattisq; absumendos ac perforandos abijcere, nihil componere, calamos quibus scribis frangere, & egregia carmina, quæ nocturnis vigilijs & improbis lucubrationibus de Romanorum gestis ac prælijs conscripsisti, potius abolere. Quid enim? In humili pauperculâ cellâ inclusus grandia & sublimia heroica Poëmata componis. Verum quid præmij hinc consequeris? Nimirum ut in Camænarum æde, vel templo Apollinis Palatini statuam hederâ coronatam, & imaginem tuam macilentam & pallidam consequaris. Et quidem ultra hanc statuam & imaginem nihil sperare potes. Nam divites & nobiles Romani vestri avari & sordidi jam dedicerunt viros doctos & excellentes tantum admirari, verbis laudare & attollere. Ceterum nihil ipsis donant. Prorsus ut pueri pavonem laudant, ejus conchatam caudam, oculosq; in illa aureos admirantur, nihil autem ipsi donant, quod comedat. Verum in inutili illo & parum fructuoso studio vita tua atteritur, & ætas defluit, quæ mercaturæ & navigationi, armis belli gerendis, & agriculturæ exercendæ magno tuo lucro & emolumento impendi poterat. Quæ ætas ubi jam transijt, tum in senectute sera pœnitentia & tædium animum subit, & senes facundi, & inopes multis verbis stultitiam suam accusant, & se suaq; stu-

dia Poetica oderunt, & exsecrantur. Est autem operæ precium cognoscere artes ac dolosam astutiam Romanorum, quâ suas sordes palliant. Nimirum dives ille patronus tuus, quem tu colis, ne quid muneris in te Poëtam conferre cogatur, Camænarum ædem & templum Apollinis Palatini Poëtis sacrum, contemnit & relinquit, nec alios ibi recitantes audit & curat, sed ipse Poëta videri cupit, ipse versus scribit, & sua opinione doctissimus Poëta est, nulli cedit, uno Homero excepto, non quod ille doctior, sed quod mille annis antiquior sit. Si ergo carmen scribis ut aliquid lucreris, frustra es. Quod si gloriâ & laude duceris, & nominis ac famæ dulcedine accensus carmen scribis & recitas, Maculonus, Fronto, & alij domos, in quibus recites tibi sanè commodabunt, & amplissima domus ferro validè munita, cujus januæ magnificè exstructæ & munitæ sunt, ut sollicitæ urbium portæ videri queant, tibi recitanti servient. Ipse dominus ædium libertos & clientes suos in extremâ totius auditorum cœtus parte sedentes, qui magnâ voce recitanti tibi adplaudant disponit, & nihil intermittit, quod ad famam ac laudem aucupandam conducat, dummodo illud sine impensis atq; sumtibus fieri possit. Nemo à patronorum tuorum impensus & sumtus pro te exponet, qui insumuntur pro subsellijs exstruendis, proscalis ac gradibus, qui ex tigno, dato precio conductis dependent, pro exstruendâ orchestrâ, quæ ex cathedris & sedilibus, per bajulos adportandis & reportandis exstructa est. Nos tamen hoc vanum & inutile Poëtices studium persequimur, in stulto nostro proposito perseverantes,

& a-

& aratro, quod in proverbio dicitur invertimus aridum ac sterilem pulverem, & lettus inutili & infrugifero labore aramus. Nã si à proposito hoc scribendi carminis discedere, teq; ad lucrosa alia vitæ officia convertere velis, tum consuetudo ambitiosi illius & honoris cupidi mali, quo carmina scribis, te laqueo quasi vinctum detinet, inq; consueto proposito retinet. Quippe multos insanabile illud cacoëthes, incurabilis ille malæ consuetudinis morbus scribendi tenet, & in ægroto & hocvitio laboranti corde, in quo altissimas radices egit, ad extremũ usq; senectutem manet, ac perseverat. Plures igitur passim scribunt poëmata, sed pauci inter illos veri & excellentes Poëtæ inveniuntur, eò quod pauci commoditatẽ & ocium sine curâ & sollicitudine sortiti sint. Nam eximiũ aliquem Poëtam, cui non sit communis vulgaris, & plebeja vena Poetica, qui nihil vulgatum, omnibusq; patens & expositum in carmine suo proferat, nec qui, ut monetarij communes & omnibus notos unius notæ numos semper procudunt & super incude fabricant, sic triviale, tritum, & plebejum carmen pangat & proferat, sed abdita, non cuivis promta, intacta, & novâ iuveniat; Hunc talem, inquam, Poetam, qualem nostro tempore monstrare nõ possum, utpote qui non datur, cujusq; ideam solummodo in mente sentio, & cogitatione percipio, facit animus ab omnibus curis liber, omni tristitia & sollicitudine carens, qui nihil molesti, nihil acerbi patiatur, qui gaudeat in liberrimo ocio, secessu, solis & amænis locis pro libitu liberrimè degere, & denique qui liber & solutus sit, & ob id idoneus ad Musarum fontes bibendos.

Nam paupertas sobria & frugalis & furoris, Poetici (qui provenit ex largâ omnium rerum affluentiâ & copiâ) expers, & pecuniæ, qua nocte ac die corpus ad sui sustentationem indiget, inops non potest conscendere Musarum montes, ibiq; sub Pierio antro Musis & Apolline digna cantare, & Bacchantium more, qui thyrsum tenent, furore corrtpi Certè cum Horatius ingeniosissimas suas odas, & Bacchum Poetico furore correptus invocat, satur est, & Baccho plenus. Quis autem ingenio locus est, & quomodo illud vires suas exserere potest, nisi cum uni rei intenditur, cum nostra pectora in solius carminis confectione sese sollicitant, & à dominis Cyrrhæ & Nysæ Baccho & Phœbo furoris instinctu rapiuntur, & ad carmen aliquod fundendum aguntur: utpote quæ uno tempore duas curas de re domesticâ, & Poeticâ simul non admittunt. Certè in bellis currus & equos, & Deorum vultus ac imagines ingeniosè posse imaginatione prius contemplari, & verbis & carmine exprimere, & describere, quam terribilis & formidabilis infernalis furia Alecto Turnum illum Rutulum perturbet & ad desperationem adigat, ut in divino illo Virgilij Poemate videre est; opus magni & excellentis ingenij, addo & liberi, neq; de rebus domesticis comparandis, & lecti strigulo, quo ex inopiâ careat solliciti. Sanè si Virgilius ex Augusti Cæsaris & Mæcenatis munificentia commoditatem illam vivendi, & famulum & commodum hospitium non habuisset, rerumq; necessariarum inopiâ laboraseet, caruisset etiam illis eloquentiæ ornamentis, quibus in Furiarum descriptionibus utitur, qua capillorum

loco

loco hydras habere ingeniosè fingit, non induceret ipsam Alecto buccinam inflare, & horrendum sonitum edere. Agè vero contingat talis vivendi commoditas nostro tẽpore, & Rubreno Lappæ ingenioso Poëtæ Tragico, sed pauperi, & ille non minoris æstimetur, nec viliorem vivendi occasionem habeat, quàm veteres Tragici: Certè ille si non superior, saltem prisc̃is illis æquabitur. Verum ille inops & pauper est, ejusq; pauperem suppellectilem & vestes Atreus fœnerator pignoris loco occupat. Quantæ vero Romanorum sordes! Infelix ille & pauper Numitor scilicet, non habet, quod amico suo Poëtæ viro optimo donet. Verum si meretriculæ suæ Quintillæ aliquid dandũ est, illud verò habet: & quando voraciss̃imum illud animal leonem multâ carne, magnis impensis alendũ emit pecunia illi non defuit. Leo scilicet minori sumtu & expensâ nutritur, quàm Poëta, & Poëta scilicet plus vorat, quàm leo. Verum objiciet mihi avarorum illorum Romanorum quispiam, Poëtas fama atq; gloriâ contentos esse debere. Sane si divites jam ante sint, aliorumq; subsidijs nihil indigeãt, qualis est Lucanus Poeta nobilis, famâ & gloriâ possunt acquiescere, & in marmoreis hortis, & splendidis ædificijs ex animi sententiâ vivere. Verum si pauperes atq; inopes sint, ut Serranus, Salejus, Codrꝰ & alij, ut vel maximè gloria quantumvis maxima illis contingat, quid ipsi proderit hæc gloria, si tantum est gloria, cum nullo lucro & commodo conjuncta, unde possint vivere? Atq; hæc ut vera esse videas, considera tantũ Papinium Statium. Hujus Poemate Thebaide populus Romanus mirum in modum delectatur, & ad ejus jucun-

dam

dam recitationẽ certatim concurrit. Certè ille suâ carminis recitatione urbem Romam lætam reddidit, & alium diem, quo reliqua recitaret, populo promisit. Tantâ quippe dulcedine animos auditorum suorum irretitos detinet, & tanta voluptate & gaudio populi Romani ille auditur. Verum cum dictus Statius suâ carminis recitatione, & populi auditoris frequentiâ subsellia fregit, nemo tot auditorum illi vel numulum donat. Imò verò ille esurire cogitur, nisi fabulam suam de Agaue novam, & hactenus à nomine tentatam Paridi histrioni vendat, ut pretium consequatur, unde vivat & victitet. Et mirandum non est, quod Statium Paridem histrionẽ Patronum habere dixerim. Sane Paris ille tantum gratiâ & auctoritate apud Domitianum valet, ut militiæ honores, præfecturas & tribunatus multis largiatur, ut det Poetis annulos aureos semestres æstivos & hiemales; Adeoq; quod proceres Romani sordidi & illiberales dare nolunt, illud dat histrio & mimus. Quid autem? Tunc nobilissimos illos Camerinos & Bareas curas, eorumq; tanquam patronorum tuorum atria mane colis & frequentas? Stultè facis. Imo verò tu Paridem histrionem respice, cui Tragœdia de Pelopæâ oblata auctorem suum Præfectum faciet, & altera fabula de Philomelâ, Poëtam facit tribunum. Non ergo vati illi Statio vel vitio vertere, vel invidere poteris, quod recitationi carminũ suorum sese pascat, cum istud vix & ne vix quidem facere possit. Quis autem civium Romanorũ nostro tempore talis patronus erit, qualis Mæcenas Virgilio & Horatio, qualis Proculejus ille liberalis, qualis ille Fabius Maximus

mus munificus? Et quis nunc alter invenietur qui sit tã magnificus ut Cotta, & Lentulus in amicos suos fuerunt? Nempe prisco tempore precium ingenio par erat, & quo quis ingeniosiora scripserat, hoc majus manus ipsi erat propositum. At vero contra nunc multi eam utilitatem consequuntur ex scribendo carmine, ut palleant, & fortiter esuriant, & ne tantum quidem habeant, quo vinum sibi Decembri mense comparare possint, cum Saturnalia ab aliis maxima poculorũ licentiâ celebrantur. Transibo jam ad historiarum scriptores, quorum studium & labor haud dubie utilior & fructuosior erit, quàm Poetarum. Hic quippe labor requirit plus temporis, & vigiliarum nocturnarum ad lucernam, quam Poetarum. Quippe omnium historicorum libri sine modo & mensurâ in immensum excrescunt, & sæpe ad mille folia sese extendunt, non sine magna impensâ & damno papyri coëmendæ. Hoc enim ingens rerum gestarum per historiam describendarum cumulus, & omnis historiæ lex & ordo exigit. At vero quando tanto labore latissimum illum historiarum campum araverunt, quam segetem vel fructum inde historici recipiunt? Nullum, aut saltem perexiguum. Verum objiciet aliquis, merito fieri, quod historicis non tantum conferatur, quantum Iurisconsulto cuipiam, sive causidico, qui acta & processus in foro iudiciali legit, eo quod historici desides & ignavi domi delitescant, sub tecto & umbrâ tanquã otiosi: Cum advocati & causidici foras prodeant, & loquendo in curia & foro contendant. Siquidem ergo causidicorũ tam lauta conditio, age dic mihi, quidnã præstent illis officia,

sua

sua officia, & liberorum ille & actorum ingens cumulus, qui post eos in magno fasce colligati portantur. Nimirū illi causſas agentes summis viribus magna voce clamāt, & tum potißimum cum creditor, cujus causſam agit, in iudicio præsens ipsum audit: vel cum alter quispiā causſidicus adversarius illum ad dicendum urget, & instigat, qui ex grandi codice juridico probare vult debitum illud, quod creditor adnititur, dubium esſe, & minus liquidum, suumq; principalem debito illo non teneri. Tum vero, quantum possunt cauis suis buccis & faucibus immensa mendacia spirant, seq; convicijs & probris invicē validè proscindunt & onerant, & nimio dicendi fervore verborūq; copia vestes & sinus suos conspuunt. Atq; ita labores quidem Iurisconsultorum grauißimi. Verum, si, quem inde consequuntur fructum velis cognoscere, compara vel centum causßidicos cum uno cive Romano Lacerno illo russato Domitiani auriga, & in una libræ lance pone centum causßidicorum patrimonia, in altera unum patrimonium illius, quem dixi Lacernæ, & videbis centum ab uno superari. Sane perexiguū est, quod causßidici lucrantur Ecce enim ut cum Ouidio loquar:

Consedere duces. & iudices ad dicendum jus;

Tu verò causßidicus tanquam Aiax ille apud Ouidiū, ob egestatem macilentus & pallidus surgis, ut dicas pro ostendenda libertate alicujus non facile probabili contra eum, qui illum vult in servitutem adserere, idq; iudice rudi rustico, & indocto. Ibi vero tu, o miser causßidice, summis laterū viribus declama, tanta cōtentione vt intensum jecur pene rumpas: Nimirum ut tandē ex longa

declā-

declamatione lassus gloriam ex victoria contra adversa-
riorū consequaris, in cujus signum rami palmarū viri-
des, pulpiti quasi, ex quo dixisti, gloria, tibi adfiguntur.
Verum quod precium datur, quod causſam dicendo
viceris? Nimirum exiguus & exsiccatus petasunculus, &
vas vilißimorum piscium thynnorum, & veteres iamq;
languidi bulbi, quibus Afri loco munerum menstruorum
utuntur, aut vilißimi vini non transmarini, sed per Ti-
brim deorsū devecti quinq; lagenæ, si quater egisti. Quod
si, quod rarum est, unus aureus tibi contingit, illum tibi
integrum retinere non potes, sed quasdam inde partes
demere cogeris, qua des pragmaticis, qui tanquam
peritiores certo pacto & fœdere tibi adiuncti sunt,
ut leges tibi suggerant, Et hæc misera & iniqua conditio
pauperes causidicos potißimū premit. Nam Æmilio & a-
lijs ditioribus causidicis à clientibus suis datur quantum
postulat, cum tamen tenuiores, qui nihil aut parum ac-
cipiunt, melius & fidelius sæpe agant. Nam Æmilius &
alius, ut plurisagere possit, simulat se ditißimū, æreos cur
rus triumphales in quibus maiores suos triumphasse o-
stentat in ædium suarum vestibulo cum quatuor altis &
magnificis equis, & statuam equestrē sibi poni curavit,
& in feroci equo belligero sculptus sedens ex intervallo
curvatum hastile, tanquā adversario intendit, & lusce
illa statuâ prælia quasi meditatur. Eodē modo Pedo alter
causidicus, licet adeo tenuis sit, & ære alieno obrutus ut
conturbet, & debita posterioribus solvat, veteribus credi-
toribus relictis, & Matho licet deficiat, & ad paupertа-
tem redigatur; Tamen magnas divitias simulant, seq; ul-
tra vires suas ostentant. Idem hic exitus & eventus ex-

ſã Tongilli eſt, ut pauper fiat, tamẽ ſimulat ſe ditiſſimũ, & cũ lavit, nõ vulgari gutto ex cornu, ſed rhinocerote pet ſupinas delitias utitur, & turbã clientum ſuorũ ſordidã & lutulentã ſecum tanquã pompã in balnea ducit, illisq; alijs lavantibus gravis ac moleſtus eſt. perq; forum longã lectica à ſuis ſervis lecticarijs ex Mæſia ortis portatur, ubi ſimulat ſe tanquam ditiſſimum velle emere ſervos, argentea pocula, Myrrhina vaſa, integra prædia, & quid nõ? Quippe latus clavus purpureus è lana Tyrio colore tincta, quẽ geſtat, pro ipſo fidẽ facit, quod prædicta poſſit emere. Et tamẽ quod tam ambitioſe ſeſe oſtentant illis cauſidicis utile eſt. Nã veſtis purpurea, vel Amethyſtini coloris facit ut cauſidico pluris conducatur à clientibus. Et ſic convenit & conducit illis cauſidicis ut & verborũ ſtrepitu, veſtuq; habitu majores divitias præ ſe ferãt quàm adſint. Et hoc forte excuſari poterat, Verum Romani luxurioſi & prodigi nullum modum ponunt ſumtuum faciendorũ, ubi ambitioſa paupertate ab omnibus vivitur. Verum, ut ad priora redeam, ut vel maximè priſci oratores & cauſidici diſertiſſimi in vitam redeant; vel ipſi Ciceroni hâc ætate noſtra nemo vel ducentos numos dederit niſi opes ſuas ambitioſe annulis & gemmis in digitis fulgentibus oſtentare poſſit. Quippe ille qui litem habet, ſuæq; cauſæ patronum quærit, hoc primum reſpicit, nunquid etiam dives ſis, an habeas octo ſervos, qui lecticam portent, anne tibi ſint decẽ comites qui te conſulant, an poſt te ſella portetur, in quam ſi libet conſideas, an ante te amici togati ãbulent. Ob hoc ipſum Paulus ICtus cum cauſſas agebat, conductâ Sardonyche & alijs gemmis & annulis ſe ornabat, & ob id majus præciũ conſe-

consequebatur quam Cossus, Basilus, & alij Iuris consulti qui tam ambitiosè se non ostentabant. Atq; adeo in tenui vestitu raro facundia & eruditio inesse vulgo creditur. Vnde fit ut graves causæ capitales tenuioribus causidicis, ut Basilo, & alijs non facile committantur, in quibus causidici perorantes matres, uxores, liberos sordidatos & squalentes pro vita filij, maritti, patris miserabili voce judicum misericordiam implorantes, introducere solent. Quis autem Romæ Basilum vel alium quempiam tenuiorem causidicum bene suam causam perorantem æquo animo ferat? Nimiram nihil in paupere probatur Romæ. Quod si causidici Romæ & tenuiores præsertim condignam pro laboribus suis & facundiâ mercedem sibi reponi cupiant, Romam protinus deserant, seq; vel in Galliam conferant, vel potius in litigiosam illam Africam causidicorum nutriculam ubi causidicis suum adhuc præmium propositum est. Quid de Rhetoribus & Sophistis Vettio & alijs dicam, qui juvenes in Scholis declamare docent, & dicendis causis ac foro præparant? O ferrea & adamantina illorum pectora, quæ quidem tantis laboribus in Scholis ferendo sint! utpote cum hujusmodi numerosa discipulorum classis etjam sævos tyrannos, ut Dionysium Siciliæ tyrannum, excarnificet, & perimat, ut qui à Dione regno exutus Corynthi ludum litterarium aperuit, inq; illo miserrimè in pœnam divinitus ipsi immissam consenuit. Nam miserrimus rhetor quæcunq; modo sedens legerat, suisq; discipulis explicarat, hæc eadem mox stans rursus proferet,

atq; eadem ijsdem verbis & versibus clarâ voce quasi cantans crebro inculcabit. O tædium morte gravius! Nimirum miselli magistri dum toties eandem brassicam repetitam comedunt, toties eundem cibum discipulis suis præmandere & præmesticare coguntur, eadem, inquam, toties repetita inculcant, tædio & molestiâ occiduntur; proq; illis molestijs parum admodum lucelli recipiunt. Nimirum omnes discipuli nósse volunt rationem de unaquâq; re probabiliter differendi, quæ ornamenta verborum & sententiarum sint, quod sit caussæ genus Demonstrativum, Deliberativum, an Iudiciale: ubi sit summa quæstio, & status controversiæ; quæ argumenta ab adversario possint objici; hæc, inquam, omnes volunt scire, & nemo pro illis mercedem solvere. Quod si mercedis mentionem præceptor faciat, continuò indignabundus discipulus; Tu mercedem inquit poscis; Et ego nondum aliquid ex te didici. Quid enim scio? Nimirum quando discipulus bardus, obtusus & stupidus tanquam asinus ex Arcadiâ est, nihilq; cordis, nihil pectoris habens parum addiscit, tum culpa in docentem transfertur. Qui tamen discipulum illum singulis sex diebus ficto themate in Genere Deliberativo de diro illo Annibale Romanorum æterno hoste declamantem audire cogitur, non sine incredibili tædio & molestiâ, quidquid etjam sit, de quo Annibal deliberat post victoriam Cannensem. An statim urbem Romam petat, an verò posti horribiles nimbos, fulmina, & tonitrua, quæ inciderant, suas militum cohortes pluviâ madidas ad Thuriam fluvium alio circumagat.

Adeoq;

Adeoq; postula tu à me quantum vis tibi dari, & continuo, quod postulas, tibi dabo, Effice tantum ut pater illum filium toties eadem odiosè repetentem audiat, quoties præceptor discipulum audire cogitur. Ille verò pater nimio tædio filium suum toties audire non posset. Longè igitur satiùs est, ut hoc sterile docendi munus aliquis maturè relinquat, seq; ad veras in foro causas causidicorum, (qui licet parum, plus tamen lucrantur, quàm Rhetores) more dicentes conferant, exemplis sex & plurium aliorum Sophistarum, qui relicta Schola in foro uno ore certatim dicendo contendunt & conclamant, & veras lites in illo agunt, relictis illis fictis in Scholâ controversijs ex prisco sæculo & fabulis Poëticis petitis, ut de raptore Paride, qui Helenam, Iasone qui Medeam rapuit, De Medeâ, quæ veneno suso Creusam Iasonis alteram conjugem suam quasi pellicem absumsit, De Iasone, qui ductâ alterâ conjuge malus pariter & ingratus maritus erat erga Medeam, cujus ope pericula illa in Colchide superaverat, Et deniq; de eadem Medeâ, quæ certis pharmacis magicis in mortario tritis Peliam ex sene cæco puerum se redditurum filiabus suis pollicebatur: & ita Peliam per proprias filias è medio sustulit. Has omnes fictas controversias in scholis deseruerunt, seq; ad veras lites in forum contulerũt. Præceptor ergo relictâ illâ umbratili & ficta lite in schola ad veram pugnam, verasq; controversias in forum descendit, & ipse rudẽ sibi dabit, seq; à laboribus scholasticis mãcipabit, et aliud vitæ genq; diversũ à præceptoris

munere ingredietur, si modo mea consilia aliquid momenti apud ipsum habebunt) ut saltem ex veris caussis forensibus causidicis exiguam illam pecuniæ summulam consequatur, quâ sibi possit tesseram frumentariam emere; Tantum enim pecuniæ rhetor & præceptor in Scholâ sibi acquirere non poterit. Quod si non vis credere, quam exiguam mercedem præceptores consequantur, explora tantum, quàm vilissimâ mercede Rhetores illi Chrysogonus & Pollio ditissimorum civium Romanorum filios doceant, qui tamen artem Rhetoricam Theodori Gadarei diligentissimè discipulis suis proponunt, illamq; minutatim partiuntur & dividunt. Atq; hæc Rhetorum in scholis conditio, quibus Romani nostri, cum in ædificijs & alijs exstruendis nullos non sumtus faciant, nihil vel parum admodum pro liberorum suorum institutione conferunt. Balnea à ditissimis Romanis immenso sumtu sexcentis nummis ædificantur, & majori adhuc sumtu porticus exstruitur, in quâ Dominus, quoties pluit & sudum non est, animi gratia à servis lecticarijs vel à jumentis in rhedâ circumvectatur. Nam divites Romani iniquum censent tamdiu domi desidere, & in lecticis vel rhedis non ferri, donec sol luceat & serenum fiat, vel etiam aere pluvio vectari, & jumenta luto ex pluviâ nato inquinare. Ob id hic in tali porticu immensis sumtibus exstructâ vehentur. In illâ enim mula nitida & bene curata luto non inquinatur, cum pluvia eo penetrare nequeat. Aliâ parte non minori sumtu cœnatio ædificatur, longis marmoreis columnis ex Numidiâ

midiâ allatis fulta & sustentata, quæ quo sit gratior & salubrior æstatis tempore septentrionem respicit, & frigidiorem aërem ibi intromittit. At quantocunq; etjam precio domus, balneæ, porticus, cænatio, & alia constent; Nihilominus etjam structor adhibebitur, qui fercula & obsonia delicatißima componat, & artificiosè ordinet ac dividet, & cocus, qui lautißima pulmentaria debitis aromatibus condiat. Inter hos tot ac tantos sumtus in res nihili & inutiles sæpe profusos, Quintilianus vel alius quivis Rhetor discipulos in scholis docens, si multum acquirat, duobus Sestertijs ac-acquiescere cogetur. Nimirum avaris illis nihil vilius est, quàm sui liberi, & pro nullâ re minus sumtuum volunt impendere, quàm pro filiorum suorum honestâ institutione. Verum objiciet mihi hic aliquis: Si oratores in Scholis docentes tam parum lucrantur, unde igitur Quintilianus rhetor tam dives est, unde tot saltus, agros, silvas, prædia habet? O quisquis es, qui hoc Quintiliani exemplum mihi objicis: Talia exempla novorum, inauditorum, & inusitatorum fatorum & eventuum præteri, & mihi noli objicere. Nam Quintilianus non civium Romanorum liberalitate, sed fato, & favore Dei felix & fortunatus est. Qui autem Deo & fato carus est, ille omnia habet, animi fortunæ, & externa bona. Est corpore pulcher, animo vegetus & acer, sapiens, est etjam nobilis & generosus, & gestat in nigris suis calceis notam illam nobilitatis lunulam vel litteram C. in indicium quod ex primis illis centum Senatoribus oriundus sit: Talis

etjam felix eſt insignis rhetor, & ingenioſus etjam Dialecticus & argumentator. Quid verbis opus eſt? Tali felici nihil nocere poteſt, qui ſi etjam frigore prematur, fatorum tamen beneficio vocem ſervat, & benè cantat. Multùm enim ſcilicet refert quæ ſiderum conſtellatio in ortu fuerit, & quæ ſidera proſperane an adverſa te in ortu reſpexerint, & exceperint, eo momento, quo ex matris utero primulum naſcereris, primosq; vagitus ederes, & rubore adhuc nuper natorum infantium insignis eſſes. Quod ſi fatum & fortuna volet tum è viliſſimo rhetore conſul fies, & ex humili loco ad ſplendoris honoris & dignitatis faſtigia altè eveheris. Quod ſi hæc eadem fortuna, idem fatum contra volet, tum è Conſule rhetor, è rege viliſſimus diſcipulorum præceptor evades. Age enim Ventidius Baſſus genere Picens ex captivâ Eſculanâ natus, inq; Triumphum à Strabone ductus, qui poſtea Imperator ipſe de Parthis triumphavit, & Servius Tullius, qui ex ſervâ Ocriculanâ natus rex Romanorum factus eſt; Age, inquam, quidnam illi ſunt? Anne illorum rara & inuſitata felicitas aliud eſt, quàm conſtellationis approbatio, & miranda potentia divinæ voluntatis nobis incognita & imperſcrutabilis? Nimirum fata ſervis, ut Servio Tullio, & alijs regna dabunt, & captivis, inq; Triumphum adductis, ut Ventidio & alijs imperia & triumphos. Et ſic Quintilianus ille etjam felix quidem eſt, verum ejus exemplum valde inuſitatum, & nigro cycno vel albo corvo inter mortales rarius. Inveniuntur

contra

contra multi rhetores, qui cathedram & dicendi munus in scholis tanquam sterile & infructuosum reliquerint, cujus rei exempla habemus Thrasymachum illum rhetorem, qui in Sholâ ad extremam inopiam redactus laqueo vitam finijt, & Carinatem illum Secundum, qui arte sua quam professus est pauperrimus redditus, postea Româ in exsilium fuit pulsus. Qui & ipse antea Athenis vixit, sed ut dixi inops, & miser. Quamvis quid Athenæ viris doctis conferant præter cicutam gelidam, quam sanctissimo Philosopho Socrati æterno suo probro propinarunt? Longè autem alia præceptorum conditio prisco erat sæculo. Nimirum Dij immortales majorum defunctorum umbris & cineribus reliquis bene velint, ijsq; tenuem mollem & levem sepulturam indulgeant, & circa illorum urnas ac tumulos omnis generis flagrantes rosas, crocos, & perpetuos deniq; vernos flores crescere faciant, qui præceptores sanctissimo apud se loco habuerunt, & non minus atq; ipsos parentes coluerunt. De Achille tanto heroë memorant, quod ætate jam grandior, in patriæ suæ Thessaliæ montibus à Chirone centauro fidibus cantare didicerit, suiq; magistri virgam adfectu discipulorum reveritus sit. Quis autem vel illo tempore centaurum præceptorem Citharœdem non risisset, qui caudam equinam haberet? Verum contra nostro tempore etjam vilissimi pueruli discipuli præceptores suos Ruffum & alios pulsant & verberant; Ruffum, inquam, qui tamen tam doctus & eloquens sibi videatur, ut ipsum etjam

Ciceronem reprehendat, tanquam more Allobrogum crassè & barbarè loquentem. Iam deniq, ut ad Grammaticos transeam, illorum provincia longe omnium est durissima & miserrima. Quis autem discipulorum præceptori suo Grammatico Enceladi, vel Palæmoni illi docto, qui litteras secum natas, secum morituras jactat, primas literas & elementa docenti tantam mercedem in gremium infundit, & reponit, quantam laboribus suis promeritus est? Nemo hoc facit. Et tamen ex hoc, quodcunq; est, didactro, sane perexiguo & longe minori quam didactron Rhetorum, discipuli custos vel proprium commodum spectans, pædagogus Acœnetus aliquid furtim aufert, & sibi retinet, & dispensator Oeconomus, qui pecuniæ condus & promus est, inde sibi itidem aliquid furtim detrahit. O doctissime Palæmon, patere, neq; ægre feras à tuâ mercede aliquid detrahi, non aliter ut institor, qui hibernas tegetes, & nivea lecti stragula vendit, à prius indictâ mercede aliquid decedere & decrescere patitur. Dummodo pro immensis tuis laboribus saltem aliquid consequaris, & labores illi tui non prorsus pereant, quod sæpe ad mediam usq; noctem sederis meditans illa quæ discipulis tuis propositurus eras, quo tempore nemo faber ferrarius, nemo carptor, qui obliquis hamis terreis in tabulam infixis lanam diducere & carminare docet, sedebat & ultra opus faciebat. Dummodo pro incredibili tædio & molestia aliquid lucreris, quot totidem lampades fœdi & malè olentis olei, quas tenuioris pueri noctu secum portant, olfeceris, quot

ante

ante te ſtabant pueri lectiones ſuas recitantes, in quorum manibus liber Horatij Flacci, in quo legere diſcunt, fumo lucernæ & aſſiduâ tractatione decolor & turpis erat; & miſerè contaminato nigroq; libro, in quo Virgilij Maronis Poëma, craſſa fuligo & vapor malè olentis lucernæ adhæreret. Hæc ergo merces Grammaticorum licet admodum ſit exigua, rarò tamen alicui præceptori contingit, ſine interventu litis, & judicio alicujus Tribuni. Interea cives Romani hiſce præceptoribus, quibus tam parum mercedis loco dant, ſævas & obſervatu difficilis, imò impoſsibiles leges imponunt, ut nimirum præceptor ſit doctiſsimus, & omnium verborum ac phraſium exactiſsimam cognitionem & regulam habeat, ut omnes hiſtorias, & fabulas Poeticas perlegerit, omnes auctores, quid quisq; ſcripſerit exactiſsimè tanquam ungues & digitos ſuos pernoverit, ut ſi quis forte petat & quærat, quæ & ubi fuerint thermæ, & balnea Phœbi, illud ſtatim reſpondere poſsit & dicere, quænam nutrix fuerit Anchiſæ, quodnam nomen, & quæ patria fuerit novercæ, quam Anchemolus privignus inceſto concubitu polluit, quot Senior ille Aceſtes Siciliæ rex apud Virgilium annos vixerit, quod vini cados Aeneæ & reliquis ſocijs Phrygibus donaverit. Deinde exigunt ut animos moresq; diſcipulorum ſuorum teneros virtute & pudicitia exactiſsimè imbuant, non aliter ut figulus pollice vllam fingit & format, vel ſi quis ex cerâ vultum aliquem faciat. Exigunt etjam ut præceptor illum Scholaſticum cætum paterno amoris adfectu proſequatur, accuratè

videant ne se invicem corrumpant, ne turpem libidinem inter se alternis vicibus exerceant. Ne manuum ministerio libidinis voluptatem sibi accersant. Sane tot puerorum manus ne scelera perpetrent, & oculos in fine perpetratæ libidinis molliter trementes & natantes accuratè observare, est longè difficillimum. Has leges inquiunt observa, & hoc cura ut facias, ô præceptor. Verum cum annus jam exactus est, & præceptor laborum suorum mercedem postulat, ibi nolunt aliquid dare, & coacti à tribuno vel prætore quinque aut sex aureos tandem ægre præceptoribus conferunt, quos populus tanqnam arbiter à prætore vel Tribuno ipsis dari postulat, tanquam victoribus, ut qui patrem in judicio vicerint.

In Satyram VIII.

ECPHRASIS.

MVlti hac tempestate nostrâ generosissime Pontice, generis sui ac familiæ nobilitate elati, alios de plebe & vulgo despiciunt & contemnunt. Verum, mi Pontice, quid ad veram nobilitatem faciunt stemmata & Genealogiæ? quid prodest prolixâ majorum

jorum serie à priscâ antiquitate per multa sæcula genus suum derivare ? quid ad rem deniq; pertinet in ædificiorum vestibulis summorum majorum pictas imagines, ut statuas & currus triumphales, Æmilianorum, statuas Curiorum vetustate exesas, & dimidiâ parte dirutas, statuam Valerij Corvini, cujus nasus temporis longinquitate fractus & imminutus; statuam deniq; Sergij Galbæ quæ jam temporis edacitate auribus & naso privata est ponere & jactare ? Quæ autem est utilitas ingenti tabulâ Genealogicâ ad jactantiam ostentare Corvinum, inquam, illum Valerium, unum ex proavis suis, & post illum Corvinum longis ramis ac virgis in arbore illâ consanguinitatis derivare ac deducere alios majores, qui magistri equitum, & Dictatores fuerunt, quorum statuæ fumo, & situ longæ vetustatis tinctæ atq; denigratæ sint: Quid, inquam, prodest hæc ostentare, & illos jactare majores, qui prisco sæculo fortiter & præclarè vixerunt; si à Lepidis minoribus, & posteris coram & in præsentiâ flagitiosè vivitur ? Et quorsum ostentantur tot majorum fortissimorum bellatorum statuæ & imagines, si tu unus minorũ & posteri imbelles & ignavi degeneres à virtute majorum per totam noctem infami illâ aleâ ludunt, & potant, & sub exortum luciferi summo mane dormire ebrius incipiunt, idq; ante majorum Scipionum Africanorum & Numantinorum imagines, & matutino quidẽ tempore, quo majores viri fortes & sobrij summi bellorũ duces signa & castra movebant, & in alia loca ductabant. Et quo jure deniq; degener ille Fabio

Persicus

Perficus in nobilißimâ Fabiorum familiâ, qui ab Hercule genus ſuum derivant, natus, Allobrogicis titulis & appellationibus, & magnâ illâ arâ Herculis, quæ Fabiæ genti hæreditaria eſt, magnopere gaudeat, illamq; dignitatem ſibi uſurpet, ſi ſuis majoribus indecor atq; degener, avarus, cupidus, mendax, vanus, & effeminatus eſt, atq; adeo quantumvis agnâ Altinâ atq; Patavinâ mollior, ſi libidinoſus Cinædus, ac Pathicus lumbos ſuos molles ac libidine prurientes in amatorum ſuorum gratiam Aetneo cavernoſo lapide, atterat, leviget, ac depilet, & hâc tam infami tam infanda libidine avorum ſuorum optimorum ſtatuas ſitu & vetuſtate ſordidos & ſqualentes, dedecoret & contumeliâ adficiat? Si deniq; venena miſceat, alioſq; per extremum ſcelus è medio tollat, & hiſce tot ac tantis flagitijs promereatur, ut ejus ſtatua inter majorum nobiliſſimorum ſtatuas poſita frangatur, & demoliatur, ut ita nobilißimam ſuam familiam ſcelere nepotis miſeram & calamitoſam hac tantâ vitæ labe ac maculâ polluat, inquinet & contaminet. Summa hæc eſt. Licet univerſa atria, & omnia veſtibula ædificiorum tuorum plena ſint & exornata, majorum imaginibus ex cerâ, marmore, ebore expreßis: Nihil tamen illud ad veram nobilitatem confert, quæ nimirum nihil aliud eſt quam ſola atq; unica virtus, vitæq; innocentia ac integritas. Quod ſi verè nobilis eſſe voles, non Paulli, vel Coſſi; vel Druſi proavi tui ſtatuas in atrijs, ſed illorum honeſtos mores in vita tua oſtende, hoſce virorum optimorum præclaros mores præpone

ſtatuis

ſtatuis majorum tuorum, illorumq; vitam & mores potius intuere, tibiq; imitandos propone, quam ſtatuas; & illi mores adeo dum conſules, ipſas virgarum faſces & ſecures, quas lictores tibi præferunt, præcedere debent, ut illos ſemper ob oculos habeas, tibiq; imitandos & ſequendos proponas. Vt ergo te verè nobilem deputem, ante omnia requiro, ut animi bonis imprimis inſtructus ſis. Quod ſi dictis pariter & factis in vitâ tua promeritus es, viri boni, ſancti, & juſti nomen; ibi verò nobilem, & optimatem te eſſe verè agnoſcam teq; ſalutabo: Salve victor ac Triumphator Getulorum nobiliſſime. Sive enim Sillanus ſis genere nobilis, ſive ex quocunq; alio ſanguine obſcuro loco natus, nihil refert, verè nobilis es, raræ virtutis & fortitudinis egregius civis tuæ patriæ datus es, quæ de te merito ovat & triumphat. Adeoq; ſi talem te invenero ſolemne illud exclamabo, quod Ægyptius populus in Sacris Iſidis clamare conſuevit, cum Oſyridem vel Apim bovem diu quæſivit, & tandem invenit. Quis autem contrà illum nobilem & generoſum exiſtimarit, qui nobiliſſimo ſuo genere indignus, & præclaro nomine tantum inſignis, ceterum vita & factis aut ignavus aut ſceleratus eſt? Niſi forte illum ex contrario, jocosè ac ridiculi gratiâ nobilem velimus appellare, quemadmodum aliquem nanum vel pygmæum, Gigantem aut Atlantem appellamus: nigrum ac deformem Maurum, cycnum candidiſſimum: parvam & extorta membra habentem virginem vocamus proceram aliquam & ſpecioſam Europam; canes ignavos

quibus

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0191
DFG

quibus ex vetustâ scabie pili exciderunt, qui in culinis pigri & desides extremitates lucernarum solent lambere, dicimus pardos, tigres, leones, & si quod animal præterea est in terra, quod hisce animalibus ferocius adhuc & violentius est. Ergo da operam, mi Pontice, & cave etjam atq; etjam ne tu quoq; eodem modo ex contrario ridiculè dicaris Creticus, aut Bareas, aut Camerinus nobilissimus. Atq; hæc quidem hactenus. Tecum jam mihi sermo est, Rubelli Plaute, quem hisce verbis hactenus ego admonui; Tu superbus & inflatus es, quod ex nobili & claro Drusorum sanguine progenitus sis, & non aliter intumescis, ac si ipse aliquid nobilitate dignum egregium facinus egeris, ob quod nobilis habereris, & non immeritò te mater tua, quæ ex illustri Augustéo stemmate, & Iulij familia, orta est, conciperet & pareret, non vilis quædam & plebeja, quales sub dio ventis exposito in aggere Tarquinij superbi texturam exercent & opus faciunt. Vos reliqui Romani, inquis, humili loco nati, ex ultimâ & abjectissimâ parte nostri vulgi, quorum nemo scit unde & ex quibus parentibus originem duxerit. Verum ego contra sum Cecropides, sum Romulides, à primo civitatis principe originem deducens. Prosit tibi illa nobilitas, ô Rubelli, & longè vivas, & ob hanc tuam originem, quam à principe civitatis deducis, diu & multùm læteris. Verum enimvero interea alios ex plebe non ob id prorsus contemnas. Nam in imâ etjam plebe civem Romanorum optimum, doctum & facundum invenias, qui tuas & aliorum nobilium in-

doctorum

doctorum causſas in foro ſolet defendere, adeoq; ex plebe togatorum clientum tuorum veniet aliquis qui tuus patronus ſit, tuam cauſſam agat, leges contrarias conciliet, juriſq; nodos ac velatas quæſtiones ſolvat & explicet. Alius ex vulgo juvenis miles erit armis belli ſtrenuus & induſtrius, & in Armeniam regionem ad flumen Euphratem, militatum proficiſcitur, ſeq; vexillis exercitus Romani conjungit, quo Batavi jam domiti cuſtodiuntur, ne rebellent. At vero tu nihil es niſi Cecropides & Romulides, nihil præter majores tuos jactare potes: Per te ignavus & imbellis, & ſtatuæ Mercurialis trunco non abſimilis. Sane quam tu nullo alio diſcrimine ſuperas & antecellis, quam quod illi ſtatuæ caput marmoreum eſt, tua vero ſtatua & truncus vivit & movetur.

Age vero dic mihi, ô Rubelli, qui te per Iuliam maternam gentem à Teucris oriundum jactas, quis adeo ſtolidus eſt ut equos, canes, & alia bruta ac muta animalia generoſa & nobilia eſſe exiſtimet, quod ex nobilibus & ac velocibus animalibus nata ſint, niſi eadem ſint fortia, & velocia. Nimirum ſic equum ad currendum celerrimum laudare conſuevimus, qui ad curſum agilis ac facilis ſuo inſeſſori plurimam palmam & victoriam cum fervore acquirit, ſpectatore in circo populo exſultante, & inſeſſori ſuo lætis acclamationibus ad raucedinem usq; acclamante, deq; victoriâ gratulante. Hic, quẽ dico, equus qui ſuâ celeritate perſpicuè & evidenter alios præcurrit

& in

& in circo aut campo omnium equorum primus currendo pulverem excitat nobilis & generosus est, quocunq; etjam genere & matre natus sit, & è quocunq; etjam gramine vel pascuo prodeat. Sed contra alij equi, quamvis ex Corythâ & Hirpino optimis equabus & caballis nati posteri sint, si sint ignavi atq; tardi, & si victor raro in illo curro sederit, quem illi jugo trahunt; vilia atq; venalia pecora reputantur, idq; sine ullo respectu suorum majorum, sine ullâ gratiâ, memoriâ & commendatione mortuorum equorum optimorum, ex quibus orti. Nimirum hi posteri nobilium equorum, equi degeneres, ignavi, segnipides, & digni qui vilissimis ministerijs adhibeantur, & Nepotis molam circumagant, exiguo & vili admodum precio venduntur, & crebro dominos suos mutant, & rhedas ac vehicula collo adsiduo jugo attrito, & vulnerato trahunt. Eodem modo ob parentum merita nemo nobilis judicari debet, si ipse ignavus ac degener sit. Ergo, mi, Rubelli, ut teipsum demiremur & nobilem reputemus, non autem genus, divitias, & honores tuos, quos à majoribus tuis habes, in vitâ & factis tuis exhibe primum nobis aliquid præclarum factum laude dignum, quod tuæ imaginis ac statuæ titulis possim insculpere vel adscribere, tanquam tuum & à te profectum, præter honores & triumphos illos in titulis statuæ tuæ, qui tui non sunt, sed sunt majorum tuorum, quibus illos reddimus, quibus tu tua debes omnia, sine illis omnium abjectissimus & contemtissimus futurus.

Hæc

Hæc dicta sufficiant ad superbum illum juvenem Rubellium Plautum, quem dicunt inflatum superbire ac intumescere, animosq; attollere, quod Neronem, qui & ipse ex Iuliâ familiâ ortus, propinquum & consanguineum habeat. Quod ipsum, si quid saperet, dedecori atq; pudore potius sibi duceret hominum scelleratissimum & patriæ hostem consanguinitate junctum sibi habere. Verum hoc in Rubellio demirandum non est. Ferè enim fit ut in illâ superbâ nobilium & divitum fortunâ communis sensus, & prudentia, & ratio rara admodum & insolita sit. Verum nôlim ego te, Nobilissime Pontice, quod Rubellius ille Plautus facit, majorum tuorum laude ac præclarè gestis ita niti atq; censeri, ut tu ipse strenui fortisq; viri officia prorsus deponas & nihil ipse agas, ob quod futuro tempore, ut majores tui, laudari merearis. Miserum enim est nullam ex se nobilitatem habere, sed parentum nobilitate tantummodo inniti atq; incumbere. Quemadmodum autem ædificia vel tecta collapsa ad terram ruunt, si columnæ aut fulcra quibus sustentantur, ipsi subtrahantur: Sic etjam nobilitas tua spreta atq; contemta corruet, si ipsi tua egregia facta, virtutem & fortitudinem tanquam veræ nobilitatis basin, columnam, & fundamentum subduxeris. Et ut palmes humi jacens prostratus erigi non potest, nisi tanquam maritus cum ulmo viduâ atq; solâ conjungatur, & ita fulciatur ac sublevetur: Ita nobilitas, quam à majoribus habes spreta & contemta sine honore jacebit, nisi illam propria virtute fulcias. Quænam illa

fulcra & columnæ sint quæris? Dicam tibi. Quocunq; loco constitutus sis, illud operam da illum locum ut exornes, in bello miles fortem atq; magnanimum te præsta. Pupillis fidei tuæ commissis tutor esto bonus & fidelis; judex vel arbiter alicujus causæ esto integer, neq; ulla re te corrumpi sinas. Si rei dubiæ ac incertæ, cui interfuisti, testis vocatus, fidem facere jubearis, veritatem eloquere nec ulla externa violentia eo te compellat, ut falsa dicas, & perjurus evadas. Adeoq; licet ipse Phalaris, quo nemo tyrannorum fuit truculentior, tibi imperet ut falsum testimonium dicas, & vel æreo suo tauro in medium posito te perjurum fieri jubeat, minitans sese te in illum conjecturum; cave à justitia & veritate transversum unguem discedas, sed summum nefas atq; scelus esse crede vitam & animam suam pudori virtuti & honestati anteponere, & malle vivere, quam virtutem & veritatem defendere ac mori, atq; ita ut vitam retineas vitæ caussas virtutem, constantiam, & bonam conscientiam, ad quæ nati sumus, amittere atq; perdere, hoc est vitam vivere omni morte pejorem & minimè vitalem. Nam quicunq; constantiam & bonam conscientiam amisit, & vitam suam sceleribus inquinatam habet, & ob id morte dignus est; ille miserrimus est, & mortuus periit, cum vivendi caussas perdiderit, quamvis vel omnium felicissimus videatur, & quotidie vel centum ostrea Gaurana delicatissima cænando absumat, & pretiosissimis unguentis quotidie affatim inungatur, ut Cosmus ille luxuriosus, qui

in so-

in solium ahenum unguentis preciosissimis plenum toto corpore sese solebat immergere. Tandem cum provincia quædam, cujus præfecturam diu anxiè speráfti & exoptásti, te administratorem accipiet, nullam crudelitatem in miseros provinciales exerce, iracundiæ tuæ moderare, cupiditati atq; avaritiæ modum constitue, subditorum tuorum in societatem R. populi receptorum provincialium inopum atq; pauperum miserere, noli illos spoliare atq; expilare, ut præfectorum mos est. Vides illos qui olim reges & potentes fuerunt à præfectis in provincijs adeo usq; exhaustos esse ut ossa appareant, in quibus me medulla quidem reliqua. Respice quid leges moneant ne fines justitiæ & æquitatis transgrediaris: quid senatores in curia Romanâ tibi imperent, ut fidem populo Romano serves, quæ præmia bonis præfectis à Senatu conferantur, & quam horribili, sed justâ pœnâ Cossutianus Capito, & Iulius Tutor præfecti & spoliatores Ciliciæ repetundarum accusati & à Senatu condemnati è supremo dignitatis gradu tanquam fulmine deturbati ruerint. Verum quid prodest miseris provincijs quosdam præfectos spoliatores accusatos condemnari, cum pecuniam non recipiant, & cum Pansa posterior & recens præfectus spoliando illud auferat, quidquid prior à te accusatus & damnatus tibi reliquit. Nimirum antiquo pejor aliquis novus substituitur. Quare ô Chærippe provincialis, noli accusare præfectum tuum cui condemnato malo pejor sufficitur, sed potius circumspice tibi aliquem præconem, qui tuos pannos

& vestes sub auctione vendat, ne & illas novus præfectus tibi eripiat, & tace neminemq; accusa amplius. Furentis enim ac insani est, cum multa damna à præfectis perpessus, & ad extremam inopiam redactus sis, etjam insuper navigationis precium perdere, navibus conductis Romam petere, spoliatorem accusare, pecuniam non recipere, sed novum præfectum veteri pejorem sibi inducere. Porro provinciales illi, de quibus loquor, in societatem populi Romani recepti, olim cum adhuc florerent, & modo bellis victi, & in Romanorum potestatem redacti essent, non tantopere ingemiscebant, cum damnum paterentur atq; læderentur: Tum enim jure belli ab hostibus, jam pacis tempore contra jus & fas ab amicis spoliantur. Tum domus omnes generis opibus illis plena erat, tum ingens pecuniæ acervus ipsis suppetebat, militares vestes Laconicæ purpureæ, & conchyliatæ. Quin etjam summorum artificum monumenta apud illos inveniebantur, Parrhasij pictoris tabulæ, Myronis statuarij signa, Phidiæ sculptoris eburneæ statuæ artificiosissimè factæ, tanquam vivérent, Polycleti statuarij famosi varia & multiplicia monumenta: vix deniq; ulla mensa in domibus provincialium, in qua non pocula vel vasula à Mentore cælata. Inde ex tantis provincialium opibus Sacrilegi spoliatores facti sunt, Dolobella, Cajus Antonius, & Verres ille, qui Siciliam deprædatus est furum famosissimus, qui furtiva illa & occulta spolia altis atq; capacibus navibus Romam deportabant, & plura spolia prædas atq; exuvias tempore pacis provinciarum præ-

præfecti retulerunt, quàm in bello ipsi victores. Iam igitur quæcunq; miseris provincialibus à tot spoliatoribus relicta sunt, pauca boum juga, quæ ex immenso armento forte adhuc reliqua, equorum grex perexiguus, & armenti pater taurus vel equus admissarius una cum agro capto, ne ulla spes relinquatur, in universum à præfectis eripientur. Deinde ubi nihil reliquum est, deos domesticos & penates, & si quod præterea simulacrum alicujus Dei pulcrum & conspicuum est, si quod in aliquo fanulo vel ædicula unum Dei adhuc signum invenitur, auferunt & tollunt. Hæc enim spolia ut maxima sunt, ita etjam summos spoliatores decent. Verum objiciet mihi hic quisquam. Quid faciant mihi imbelles & luxuriosi plerique provinciales, qui libidinosi in del tijs viventes non immerito spoliantur? Equidem non immerito forsan dispicere & contemnere potes ignavos Rhodios, & luxuriosos unguentisq; delibutos Corinthios. Merito inquam illos contemseris. Nam Cinædi illi & Pathici ac imbelles juvenes, qui in amatorum, suorum gratiam resinâ pilos exobscænis locis evellunt, & totius gentis ignava & mollia, glabra & mulierosa corpora, nihil tibi faciant, seq; vindicare non potuerunt Contra vero gens Hispanorum bello aspera inculta & horrida, & regio ad axem septentrionem sita Gallia spolianti tibi vitanda est, & Illyrici ad dextrum Adriatici maris latus, siti. Nam irati illi rebellabunt. Parce etjam agricolis illis Africanis, qui nos ignavos & otiosos Romanos nutriunt, qui nihil agimus, sed ludis theatralibus &

Circensibus tantum indulgemus. At vero tu spoliator, quisquis es, quam exigua præmia diræ ac immanis spoliationis, à miseris illis Africanis auferes, utpote quos miseros atq; inopes, nuper Marius Priscus ad zonam usq; spoliavit & deprædatus est. Illud imprimis etjam atq; etjam cavendum est, ne insigni injuriâ à præfectis spoliatoribus illi afficiantur, qui animo & corpore fortes sunt, & ob ereptas fortunas pauperes & miseri. Omnia enim illis cum auferas, & spoliando eripias, quidquid auri argenti, & opum habent: Saltem arma quibus se olim poterunt ulcisci, cum scuto atq; gladio relinques. Quod autem modo de rebellione Asiorum dixi, non est mea sententia & voluntas, tanquam sic fieri cupiam. Sed vos tamen futurum credite, meq; vobis Sibyllæ aliquod oraculum recitare. Quod si tu contra Provinciæ administrator justus & clemens sis, si nemo ex comitum & ministrorum tuorum multitudine malus & injustus est, si nemo puer intonsis capillis tuus cinædus, tantum apud te auctoritate valet, ut partibus coram te judice litigantibus accepto precio tuum judicium & sententiam vendat, teq; pro suo arbitrio judicare cogat: si in conjuge tua nullum sit crimen, ut avara & rapax non sit, neq; per omnes regiones & opida provinciæ discurrit tanquam inexplebilis & rapax Harpyia numos ablatura: Si, inquam, tu cum tuis talis es, tum te verè nobilem deputo, & concedo, ut vel à Pico omnium primo Latinorum rege genus tuum derives: Imò verò si altè longeq; à primo sæculo repetitis nominibus delecta-

delectaris Titani filios omnes Gygantes, qui in pugnâ Titanica contra Iovem ut Saturnum fuerant, atq; ipsum adeo Promethea, qui omnium primo hominem ex limo terræ formavit inter majores tuos pone atq; numera: Adeoq; è quâcunq; historiâ vel fabulâ voles tibi proavum sume, tuumq; familiam deriva. At vero contra si talis non es, sed si te honoris cupiditas inexplebilis, & insatiabilis libido præcipitem abripit, si truculentus & crudelis es, ut provinciales socios ad necem usq; flagellis concidas, inq; illorum sanguinolento dorso virgas frangas, & maximo opere deniq; delecteris cum secures, quibus provincialium cervices præcidisti frequenti ictu hebetes & retusæ factæ sint, carnifice interim tot hominum cæde lasso atq; defatigato. Ibi verò minimè te nobilem esse censeo: Imò verò nobilissimorum tuorum parentum generosa nobilitas tibi nocere atq; obstare incipit, te eo magis vituperabilem reddere, & turpibus ac pudendis tuis facinoribus claram facem prætendere, ut quo nobilior sis, eo magis turpitudo tua omnibus innotescat. Omne enim peccatum eo majus & enormius vitium esse creditur, eoq; etjam magis notum ac perspicuum omnibus evadit, quo ille major & nobilior est, qui peccata in se admisit. Quorsum autem tu mihi te tanquam nobilem & generosum jactas, ob majores tuos viros optimos & verè nobiles, qui es sceleratissimus, & falsas testamentorum & contractuum tabulas obsignas,

& illud quidem in illis templis, quæ liberalitate avi tui verè nobilis & optimi instructa sunt? Quorsum autem te mihi nobilem ostentas, si nocturno tempore adulter larvatus per plateas vagaris, & caput tuum tegmine quodam exotico, quo Santones Galliæ populi utuntur, ne forte cognoscaris, abscondis? Egregios vero nobiles! qui vilissimorum nebulonum more aurigas agunt, aut popinas ac lupanaria cum furibus aut sicarijs frequentant! Nimirum Damasippus ille Romanorum nobilissimus delitijs ac flagitijs pinguis præter parentum suorum nobilissimorum sepulcra in viâ Flaminiâ & Latinâ rapido vehiculo prætervehitur, & ipse, ipse inquam, consul rotam currus in descensu montis sustlamine inhibet atq; constringit: At vero nocte illud facit. Nocte quidem facit hoc fateor. At si nemo mortalium illam turpitudinem, saltem Dij vident, & luna atq; reliqua sidera cælestia conscia oculis suis hanc levitatem ac turpitudinem testantibus intuentur. At verò ubi annus consulatus præterijt, ille qui antea verecundiâ prohibitus nocturno tempore aurigabatur, jam diurno tempore aurigam aget, claræ diei luce flagellum sumet, equos agitabit, nec erubescet si amicus aliquis senator jam senior ipsi obviam fiat. Imo vero ei virgâ innuet, eumq; salutabit, atq; prior virga signum dabit, ut ab amico videatur, tanquam in re præclarè gestâ, & ipse suis equis defatigatis manipulos fœni & avenam solvet, inq; præsepe infundet. Interea dum oves & boves ex more à sanctissimo rege Numâ Pompilio constituto ante lovis

vis Capitolini aram mactat & sacrificat, non Iovem jurat & invocat, sed solam strabulariorum & aurigarum Deam equis præfectam Eponam, & per reliqua numina quæ in fœtidis ac malè olentibus stabulis, & ad olida equorum præsepia pingi solent. At verò postea cum Damasippo nostro aurigandi studio aliquandiu intermisso popinas illas, in quibus tota nocte vigilatur & potatur instaurare, solemniterq; repetere placet: Ibi verò unguentarius ille ex Syriâ & Phœniciâ oriundus, incola Portæ illius, quam Titus Vespasianus ingressus est, de Idumæis triumphans, unguento quod assiduè tractat, delibutus, obvius statim ei accurrit, & Damasippum, ut hospites consueverunt, blande atq; comiter dominum atq; regem suum salutat. Præsto etiam statim illi est Cyane meretrix, popinaria ad currendum expedita & succincta, lagenam optimi vini plenam venalem ipsi exhibens. Verum poterat aliquis hanc culpam defendere, & dicere: Illa, quæ commemoras, Iuvenalis, ætatis vitia sunt. Quin & nos cum juvenes essemus, hæc talia fecimus. Esto, Iuvenili ætate dissolutius vixisti, sed nimirum aliquando desiisti, nec ultra juvenilem ætatem hunc luxuriæ errorem fovisti. Breve enim esse debet, quicquid turpe atq; inhonestum est; Adeoq; quædam puritiæ & adolescentiæ vitia cum primò omnium barba per tonsorem resecatur, unà resecari & deponi debent. Et pueris quidem talia condonari possunt, Damasippo verò non possunt. Quippe ille hanc turpitudinem exercet, & calices illos infames in thermis bibit, &

inscriptis linteis atq; velis in popinis utitur, non puer amplius, sed vir bello quod in Armenia, & in Syria ad Orontem & Euphratem fluvios, & in Germania ad Rhenum & Danubium flumina geritur, adhibendus. Vtpote quâ ætate Imperatorem Neronem miles armis belli potest defendere, proq; illo militare. Age vero, ô Cæsar, mitte aliquem legatum & Navarchum Hostia ad urbem in Ostio Tibris. At vero ubi illum quæres? Nimirum in magnâ aliquâ & famosâ popinâ. Ibi nimirum eum invenies jacentem atq; potantem cum aliquo percussore atq; sicario, inter nautas, fures, & fugitivos permixtum, inter tortores, carnifices, vespillones, Sandapilarum fabros, & infames Gallos Cybeles Sacerdotes resupinatos ignavos atq; socordes. Vbi æqua omnium quidvis dicendi & faciendi libertas, Vbi pocula omnium sunt communia, ubi non honoratior lectus est nobilis cujusdam, quam furis & lictoris, nec ulla mensa tanquam dignioris, honorariori loco posita, Vbi deniq; confusè & gregatim sine ratione dignitatis, ut inter æquales æquum est fieri vivitur. Dic mihi jam ô Pontice, si talem servum sortitus esses, qui, ita viveret, ut hi nobiles, quidnam ille faceres? Nimirum ipsum tanquam servum nequam catena vinctum in Lucanos mitteres, ut ibi foderet, vel in ergastula apud Thuscos, ubi compedibus vinctus pœnæ vel supplicij loco agrum inverteret. At vero vos nobilissimi Romani, à Trojanis geniti, cum servos nequam punitis, vobis veniam datis. Imò verò quæ vilibus hominibus

turpia

turpia sunt & infamiam adferunt, illa Volesos, Brutos, reliquosq; nobiles Romanos decent & exornant. Quid dicam ulterius? Nihil profecto tam fœdum & pudendum de Romanis nobilibus dici potest quin adhuc fœdiora, & magis pudenda dicenda restent. Damasippus, de quo cœpi dicere, cum opes & paterna bona in popinis cum infamibus hominibus turpissimè attrivisset, pro dicto precio in Sipario vel mimo quodam præconem egit, cum fabulam illam Phasma Catulli mimographi, cum maximo clamore peragendum ageres. Lentulus etjam Velox. Romanorum nobilissimus Laureolum Laberij fabulam ingeniosè cum singulari decoro egit, in quo servi personam agens cruci adfixus est. Me profecto judice non fabulosâ & fictâ, sed verâ cruce dignus ob hanc tam insignem levitatem & turpitudinem. Nec interea tamen dum non immerito hanc nobilium turpitudinem damnas, ioſi populo spectatori ignoscas. Cujus profecto frons dura admodum & perfricta est, quippe qui in theatro sedere & spectare potest nobilissimorum illorum patritiorum immensam scurrilitatem, qui Fabios nobilissimos nudis pedibus planipedes Fabulas agentes audire, & ridere potest, cum nobilissimi Mamerci alapis & verberibus in mimis sese mutuo percutiunt. Nihil a. refert, sed tanquã parvũ vitiũ facile excusari potest, si ad histrionicã, de qua dixi referatur, quam magno vel parvo precio inducti nobiles nostri gladiatoriũ exerceant, seq; mortis periculo objiciãt, suaq; corpora tanquã funera futura in cruentis illis ludis vendant, Cum illud faciant sponte

& ultro,

& ultro, non amplius à Nerone coacti, qui equites & senatores olim coactos ad ferrum exhibuit, nec erubescunt illud facere nobilissimi, cum sint in ludis illis gladiatorijs quos exhibet superbus ille Prætor, homo ignobilis & pravus. Finge tamen, quod Nero supplicio proposito ex altera parte arenam & gladiatoriam, ex altera pulpita & histrioniam proponat, & jubeat nobiles vel histriones vel gladiatores agere? Age quidnam horum duorum satius est? Nonne melius est gladiatorem agere & mori, quam mimum & histrionem vivere? Et adeone quisquam mortem timuit & expalluit, ut non malit gladiator mori, quam in histrioniâ Latinum mimum agere, & ibi Zelotypia uxoris Thymeles mœchæ laborare aut Corinthi planepedarij stupidi & ignavi collegam agere. Quamvis autem res sit indignissima & monstro similis, virum nobilissimum mimum agere, & histrionem, illud tamen non usq; adeo mirum est, cum ipse Princeps Nero Imperator citharœdum egerit. Et tali quidem principe, quid ulterius Romæ erit, nisi mimi, & histriones? Interea tamen silentio præterire non possim Gracchum illum nobilissimum, urbis Romæ probrum & dedecus; Qui si gladiatoriam exercuisset ut reliqui velatâ fronte, excusari forte quodammodo potuisset. Verum ille non mirmillonem vel secutorem voluit agere ut clypeo & galea atq; gladio armatus esset, nec threcem gladiatorem, cum clypeo & incurvâ sicâ. (Ille enim Gracchus talia arma talesq; habitus, quibus facies tegitur damnat & aversatur) sed retiarium aget,

get, & tridentem in sinistrâ manu gerit, oblongum pileum in capite gestans, qui ab omnibus cognosci possit, & cum secutore componitur, & pugnat. Postquam cum secutore congressus dexterâ suâ rete in adversarij caput vibrans effudit, sed aberravit, nudam suam faciem ad spectatores erigit, & per totam arenam secutorem insequentem effusè effugit, ut ab omnibus cognosci potuerit. Nimirum Gracchus nobilissimus tunica indutus retiarium egit in cujus pileo longa aurea spira ad fauces infra mentum se porrigebat, inq; toto pileo ventilabatur. Ergo secutor, qui cum Graccho retiario pugnare jussus est victor irrisus & explosus est, gravioremq; ignominiam pertulit, quam si magno vulnere accepto occisus concidisset. Quid de Nerone dicam? Nonne ille nobilissimus & optimis majoribus ortus fuit? Verum si populus Romanus libera & nullo superioris tyranni metu impedita suffragia consequeretur, censesne in illo quendam inveniri tam perditum tam nefarium ut dubitet optimum illum & sanctissimum virum Senecam quamvis ignobilem nobilissimo illi Neroni præferre & anteponere? Neroni, inquam, illi tot parricidijs contaminato, qui ob multiplicia parricidia non semel supplicio in parricidas constituto cum simiâ, serpente, gallo, & cane culeo insui & in mare abijci debebat. At vero objiciet quis, quod Orestes Agamemnonis filius per scelus atq; parricidium cum Nerone perpetrarit, utpote, qui & ipse matrem suam Clytemnæstram occidit. Verum hoc est. Sed caussa parricidij rem facit dissimilem & diversam.

Ille

Ille quippe Oreſtes Dijs auctoribus & jubentibus matrem ſuam, cum Adultero Ægiſtho occidit, ut patrem ulciſceretur, quam illi ex bello Trojano reverſum in convivio inter media pocula occiderant. Verum non jugulavit Oreſtes ſororem ſuam Electram, ut Nero Claudiam Antonij filiam, non occidit Oreſtes Hermionem conjugem ſuam Menelai regis Spartæ filiam, Vt Nero Octaviam & Poppæam uxores ſuas, Oreſtes etiam propinquos ſuos veneno è medio non ſuſtulit, ut Nero fratrem ſuum Britannicum, Deniq; Oreſtes in ſcena inter citharædos nunquam cantavit, & Trojica non ſcripſit, ut vaniſſimus & nequiſſimus ille Nero, quod quidem fuit longè turpiſſimum & ſceleratiſſimum, ita ut nihil fuerit, quod Virginius Ruffus, cum Sergio Galba & vindice Iunio, qui ab illo defecerunt magis ulciſci & punire debuerint, quam quod libros Troadum ſcripſerit. Age vero, quidnam feci nobiliſſimus ille Nero toto illo tempore tam ſævæ & crudelis ſuæ tyrannidis? Nimirum hæc opera & hæ artes, Troica nimirum ſcribere, Cithariſtricam & Hiſtrionicam exercere, & ſummopere delectari in peregrinis locis in pulpitis cum citharædis de palma concertare, ibiq; fædiſſima ſaltatione tanquam ſcortum proſtitui, & victor apio, ut apud Græcos uſurpatum, coronari. Et Nero adeo, cum alij inſignibus rerum præclarè geſtarum ſtatuas majorum ſuorum exornare ſoleant ante pedes ſtatuæ Domitij patris & atavi ſui longam veſtem Tragicam cum prolixo Syrmate, & perſonam larvamq; faciei, quâ Tragœdiam de Thy-

de Thyeste, de Antigone, & Menalippe egit, tanquam signum rerum à se gestarum ponet, & citharam, quâ inter citharædos vicit & coronatus est, de marmoreo suo Colosso suspendit. Porro quisnam natalium splendore generisq; nobilitate sublimior unquam & clarior inventus est, quam Catilina, Lentulus, Cethegus, Statilius, Gabinius, Ceparius, & reliqui qui contra Remp. conjurarant? Et illi tamen suæ patriæ templis domibus, aris & focis noctis tempore arma & incendia moliebantur Immane & atrox facinus ausi, quod olim moliti erant filij Senonum, & Galli Braccati (qui noctis tempore Romam incendio abolere voluerunt) propter quod digni erant, qui molesta tunica induti, supplicio in incendiarios constituto, noctis tempore pro lucernâ accenderentur. Sed M. Cicero consul vigilat & vestra vexilla vestrasq; turmas prudentia sua reprimit & coercet. Hic M. Cicero fuit homo ignobilis, novus, obscurus ex Arpino Volscorum opido natus, ex paulo ante Romæ eques factus, quamvis ex municipio natus & obscurus, & civibus Romanis de re nova ex ancipiti periculo trepidantibus & attonitis armatum militum præsidiũ ubiq; disponit, & pro universo populo summis & infimis laborat atq; fatigatur, hoc agens, ne quid respub. damni capiat. Hic ergo Cicero ignobilis, consul tantum nominis, honoris, atq; laudis consecutus est Romæ intra muros in toga pacis tempore, dum sua sapientia sine bello cæde & sanguine tantum conjurationis incendium restinguit, Quantum nobilissimus ille Octavius Augustus non consecutus est ad Leucadem Epiri promon-

promontorium ubi M. Antonium cum Cleopatra navali prælio superat; neq; ad Philippos Macedoniæ urbem in campis Thessaliæ contra Cassium & Brutum in prælijs cruentis gladio assiduâ cæde & sanguine semper madido. Verùm Roma ex ancipiti illo conjurationis periculo liberata Ciceronem omnium primo parentem atq; patrem patriæ appellavit. Alius quidam C. Marius & ipse Arpinas ex eodem opido oriundus obscurissimo loco natus cum juvenis esset in Volscorum montibus mercede conductus aliorum agros invertere, & arando rusticus defatigari solebat. Postea inter milites faber erat, & à centurione vite pulsabatur, quoties tardè atq; pigrè opus faceret, & securi ac dolabrâ castra muniret. Hic tamen quamvis genere ignobilis, suâ virtute emergens septies consul factus est, & in maximo Reipub. periculo summus belli imperator electus Cimbros & Teutonas vi Italiam occupaturos excepit, & suo exercitu funditus delevit, & trepidantem urbem Romam solus sua fortitudine prudentiâ & consilio protexit & defendit. Atq; adeo Marius, postquam Cimbros hostes ingenti strage delevit, & ad stragem illam interfectorum corvi atq; vultures volabant, qui nunquam majora cadavera comederant, nobilissimi Q. Catuli collega ignobilis, secundum triumphum agit, & secunda lauru ornatur, cum antea de Iugurthâ triumphasset. Quid dicam de Decijs patre & filio? Horum animæ plebeiæ, & nomina vilia & obscura fuerunt, & tamen hi pro patriâ uterq; sese devoverunt, & Dijs infernalibus, &

terræ

terræ omnium matri digni habiti sunt, qui pro integro exercitu, & omni milite omni juventute & populo Romano sese divoverent. Decij enim, quamvis ignobiles Dijs pluris & gratiores fuerunt, quam Romani illi nobilissimi, qui ab illis servabantur, utpote propter quos universo populo R. pepercerunt. Servius Tullius Sextus Romanorum rex, & inter bonos ultimus verna fuit ex ancilla captiva Ocriculana natus, & tamen suâ virtute & fortitudine trabeam purpuream vestem regiam, & coronam, fascesq; virgarum cum securibus, & omnibus Regis Romuli insignibus, promeruit, & populum Romanum 44. annis felicissimè & fortissime rexit: Contra vero cum Tarquinius superbus septimus & ultimus rex tyrannus cum filio suo Sexto propter tyrannidem à D. Iunio Bruto urbe ejectus & in exsilium pulsus esset, Titus & Tiberius ipsius consulis nobilissimi filij tanquam proditoris patriæ portarum claustra rursus aperire, & tyrannos rursus in urbem cum exercitu intromittere voluerunt. Illi, inquam hoc faciebant, quos patris exemplo egregium aliquod facinus cum vitæ periculo conjunctum pro patriæ libertate dubia & periclitante merito dicebat. Quod profecto Mutius Scævola, qui scribam pro Porsennâ rege hoste patriæ ex errore obtruncavit & sibi dexteram combussit, & Horatius Cocles, qui in ponte sublicio hostium impetum solus sustinuit, donec pons dejceretur, ne hostis urbem ingrederetur, Et virgo Cloëlia, quæ per Tibrim tum temporis Romani Imperij terminum falsis custodibus transnatavit, tanquam

incredibile & factum demirantur; tale monstrosum facinus in nobilissimos consulum filios potuisse cadere. Verum Vindicius quamvis ignobilis & servus horum juvenum occulta consilia & clandestina scelera dominorum suorum patribus incidavit. Quo indicio matres orbatæ suis filijs eorundem supplicia luxerunt. Nam virgis cæsi & postea securi, (quæ ante conditas leges Romanis usurpata fuit) percussi, dignum factis suis supplicium invenerunt. Quis ergo nobilitate majorum suorum amplius insolescet & gloriabitur. Ego verò malo ut patrem habeas obscurissimum & ignavissimum qualis fuit ille Therstes apud Homerum, omnium Græcorum, qui Trojam petierant, turpissimus, dummodo tu Achilli Æaci nepoti similis sis, qui omnium Græcorum erat fortissimus, & divina illa arma, quæ Vulcanus Deorum Faber per Thetin matrem Achilli fabricarat, induas, & fortissimum te geras, quam Achilles fortissimus generet & producat te Therstæ similem ignavum & turpem. Verum age, concedam & indulgebo tibi ut longe longeq; à primis urbis incunabilis genus nomen atq; familiam tuam deducas & derives. Quidnam lucraberis? Quinam enim illi primi tui parentes sub initium urbis conditæ fuerunt? Nimirum quos si recorderis pudore merito confunderis. Nimirum sicarij, fures, latrones, fugitivi, parricidæ, & deniq; omnes nefarij & infames, qui ad Asylum, quod Romulus Romæ Athenienstium morem secutus, constituit, confugerunt. Atq; ita primus inter parentes & majores tuos sub ur-

sub urbis conditæ initium, aut pastor fuit, qualis ipse Romulus & Remus, aut infamis aliquis & nefarius, quem propter turpitudinem dicere & nominare non volo.

In Satyram IX.

ECPHRASIS.

Interlocutores

JUVENALIS & NÆVOLUS.

JScire ex te & tognoscere, ô Nævole, pervelim, quare toties fronte in rugas contractâ & nube quasi obductâ mihi occurras mœstus atq; tristis, qualis Marsyas ille Phryx tibicen fuisse perhibetur, cum ab Apolline cantus certamine superatus, & arbori alligatus excoriandus esset. Quid sibi vult confusus ille tuus, & perturbatus vultus, qualem habuit Ravola ille fellator cunnilingus, dum Rhodopæ fædissimo scorto operam dans, in obscæno illo opere aliorum interventu deprehensus metu expalluit? Et merito quidem. Quippe nos cum deprehendimus servum mellitas placentes & crustula furtim lingere, solemus ille colaphum incutere. Ob id jure etiam Ravola sibi timuit, & facie confusus est, dum deprehenditur talia dulciaria

lambere. Certè hâc tuâ facie, ô Nævole, nihilo tristior & miserabilior erat Creperejus ille Pollio, quamvis tristissimus, qui consumtis opibus pecuniam in fœnus quærebat, promittens se triplicem usuram redditurum, & circumibat, & quia tam stolidus nemo inveniebatur, qui pecuniam vellet credere prodigo & desperato, nunquam reddituro, & capitalem summam cum usurâ perdere, fronte contractâ, & iniquo animo tristis erat. Vnde vero tot rugas tam subito tibi contraxisti? Certè antea quamvis in exiguâ re & parvo contentus, quamvis verna esses, non minus jucundè vivebas, quàm si eques Romanus fuisses. In convivijs dicaci, & leviter mordente joco facetus & jucundus eras, & facetis sermonibus non intra haras natis, sed urbanis & elegantibus vehemens & copiosus. Et talis quidem antea eras. Iam vero omnia in te contra habent. Vultus qui antea serenus & jucundus, jam tristis & gravis est. Capilli qui decenter erant compositi & inuncti, jam neglecti & nullo aromate delibuti instar arborum erecti horrent: Omnem corporis cutisq; tui ornatum neglexisti, qualem antea medicamentis calidis ex visco cum resinâ & cerâ tenacissimo cum fasciâ circumlitis, tibi solebas provocare, pilos evellendo, & cutem levigando. Crura tibi non amplius glabra & lævia, sed ob pilos, qui in modum fructicum densè ibi proveniunt inculta & horrida. Deniq; tam macilentus pallidus, & decolor es, ut videaris senex aliquis ægrotus, qui longo jam tempore à quartanâ febre sibi domesticâ & familiari hospitâ

tostus,

toſtus, exſiccatus & exhauſtus eſt. Profecto ex animi quâdam ægritudine hic in vultu tuo pallor, mœror, & triſtitia nata mihi videtur. Ex facie enim animi in malè adfecto corpore latentis mœrores & tormenta poſſumus deprehendere, quemadmodum etjam contra in bene habito corpore animi lætitiam & gaudia ex vultu colligimus. Nam facies ex animo utrumq́; habitum mœroris pariter & gaudij ſibi ſumit, & contrahit. Quia igitur olim lætus eras jam triſtis es vitæ tuæ propoſitum mutaſſe, & contrariam priori tuæ vitæ viam ingredi mihi videris. Nuper enim, ut memini, famoſiſſimus mœchus eras, ipſo Auſidio Chio nobilior, & famoſior, & ſolebas frequenter & ſtudioſè inviſere loca illa omnia in quibus conveniunt libidinoſæ mulieres tuâ ope indigæ, ut fanum Iſidis, ubi mœchæ & adulteri quotidie conveniunt, Ganymedis ſacellum in templo pacis, & religioſa matris Deum myſteria in Palatio, & templum deniq; Cereris, quod olim pudicis tantum patebat, jam verò tibi ac tuis etjam locum præbet. Nam quod templum Romæ amplius tam ſanctum & religioſum, in quò jam non fœmina quædam proſtet, & virum adulterum ſibi quærat. Hæc loca omnia tu ſtudioſiſſimè frequentabas, & non ſolum mulieribus operam dare, ſed, quod ob turpitudinem jam nolo dicere, etjam viros ad ſtuprum ſolebas incurvare.

N. *Hoc vitæ genus, quod ob turpitudinem te taciturum dicebas, ô Iuvenalis, viros nimirum ſtuprare & inclinare adeo turpe & abſurdum non eſt.*

Nimirum quod alijs multis utile fuit, & fructuosum. Ego vero Nævolus nullam inde utilitatem, & operæ pretium percepi, nisi quod aliquando viles detritas lacernas accipimus ex pingui & crassâ lanâ, quas togæ superinduam, quæq; togam à pluvia muniant, quarum color vilis & crassus, textura rudis, & à Gallo textore pectine non satis benè appulsa & condensata, & tenues ex argento numos, idq; non puri & puti argenti sed secundæ venæ, cum scoria & alijs metallis commixti. Quod si quæras cur ego minus fortunatus sim reliquis meæ sortis hominibus, scias fato atq; Deum providentiâ hoc mihi contingere. Fata enim regunt genus mortalium, & fatum quoq; est in illis corporis partibus quæ natura voluit esse tecta & sinus legit & abscondit. Quod si sidera & stellarum inclinatio tibi cesserint, parumvé arriserint, ut vel maximè insignis magnitudinis membrum tibi sit, quod neq; visum, neq; cognitum fidem hominum excedit, illud nihil tibi proderit. Quamvis etjam Virro ille dives & Pathicus te nudum in balneo optimè à naturâ instructum viderit idq; labris præ nimio libidinis furore & concubitus desiderio fumantibus, quamvis etjam crebro missis litteris te blandè ad se accersat & sollicitet (Cinædi enim ipsi viros ad se trahunt, eosq; tanquam mulieres appetunt,) quod tamen ulterius & enormius monstrum invenitur, quàm Virro meus qui libidinosus simul est & avarus, qui dum cevet & stuprum patitur canum more nates lascivè movet interea calculum subducit & rationes

nes

nes mecum init, & mihi inquit; Hæc tibi tribui, deinde illa tibi dedi, mox plura à me accepisti: Fiat per calculos computatio tui laboris & acceptæ à me mercedis, pueri cum tabulâ adeste ut rationes subducamus. Age in omnibus rebus, quas mercedis loco tibi tribui, numera tantum centum H S. & numerentur postea tui labores, quoties mihi operam dederis tibiq; satisfactum à me non inficiaberis Et sic quidem Virro meus mihi respondet, & labores meos extenuat, cui non immerito ita respondeam: Homo ingratissimè, adeone vero facile & pronum tibi esse videtur justæ magnitudinis pessulo te toties loco impuriß mo corrumpere. Certè illius servi longè melior conditio est qui agrum domini sui foderit, quam qui ipsum dominum. Sed nimirum tu pulcritudine tua me induci censes, ut te vel frustra amem, tanquam formosulum aliquem pusionem, & ob formam suam dignum qui in cœlum, ut de Ganymede memorant, rapiatur, ibiq; tanquam Deorum pincerna Iovis cyathis adhibeatur O incredibilem avaritiam! Quid vestri clientes & humiles assectæ, qui vos patronos colunt & mane salutent, à vobis boni sperare possunt, cum tam parum aut nihil vestris subagitatoribus conferatis, qui morbo vestræ libidinis medentur? En tibi ingratissimum illum Cinædum Virronem meum, cui muneribus missis palper, cui tanquam amicæ viridia umbracula, & è succino pocula preciosa mittas,

quoties vel natalem suum celebrat, vel quoties pluvioſt veris initio Calendis Martijs tanquam mulier matronalia celebrat, & tanquam vera femina in longâ cathedra tapetibus ornata ſtratus jacens munera tanquam mulieri, ſecreto ſibi miſſa tractat. Dic mihi mollis & ſalax nebulo, tanquam paſſer, in cujus gratiam tam avarus es? quoinam tu tam immenſas divitias relinques? tot immenſos agros in montibus, tam longum prædiorum & paſcuorum tractum in Appulia, quibus vel milvi pervolandis delaſſentur. Trifolinus ager in Campaniâ, & jugum illud Miſeni promontorij Cumis imminens, & Gaurus Campaniæ mons ſolis vinetis vacans, te fertilibus & fructuoſis vitibus quotannis locupletem reddit, & ſaturat. Quis enim civium Romanorum plura vini dolia pice obturit & oblinit, plena optimo multumq; duraturo vino? Quem exiguum damnum tibi eſſet adeo opulenti ſi lumbos clientis tui dum tibi operam dat macilentos & exhauſtos paucis agri jugeribus donares? Iniquum profecto eſt, illam tuam villam ruſticanam cum infante, & matre & domunculis, & ruſtico catello infantis colluſore alicui Gallo Cinædo tuo amico & tui ſimili tympana pulſanti in teſtamemento legari, quàm mihi, qui meo ſtudio atq; officio quotidie tibi præſto fui. Verum operæ pretium eſt conſiderare, quid Virro meus ad hæc mihi reſpondeat: Improbus & importunus, inquit ad me, es cum hæc & conſimilia à me exigis. Importunior equidem ſum fateor. Sed penſio quam de domo & agello meo perſolvere debeo co-

beo cogit me & quotidie mihi inclamat, posce & solve. Servus etjam qui mihi unicus est, ut Polyphemus unicum ingentem oculum habuit, quo extincto cæcus erat, & Vlysses incolumis evadebat, huc me adigit & appellit, ut alterum mihi emam, & duos alam, Nam hic unus quem habeo, mihi non sufficit. Vbi vero jam bruma accesserit, & frigoris inclementiâ lignis & igne carentem vexarit, age oro te dic mihi, quid tum Decembri mense agam, quid servorum meorum scapulis & pedibus frigore trepidantibus dicam? Tolerate hoc frigus & durate usq; ad æstatis tempus, quo cicadæ cantillant. Verum ô Virro: ut vel maximè te nescire dissimules, quæ & quanta tibi præstiterim: & ut reliqua omnes taceas, hoc saltem facere non potes, quin magni beneficij loco metiaris, quod nisi me tibi devotum semperq; promtum & paratum clientem haberes, uxor tua intacta adhuc virgo esset & maneret. Tu certè ignorare non potes, quibus modis & quoties illud improbis à me precibus contenderis, Nosti etjam, quæ & quanta pro hoc tibi præstito beneficio mihi promiseris. Ego uxorem tuam propter ignaviam & imbecillitatem tuam à te fugientem meo amplexu ex fugâ retractam sæpe rapui. Tabulas quoq; dotales & testamenti inter te & se ruperat, jamq; alias tabulas, ut alij nuberet, obsignabat. Hæc ego inter vos dissidia vix totius noctis concubitu cum uxore tuâ composui, cum tu interea foris extra cubiculum miserabili voce metu infamiæ & divortij plorares. Horum quæ dixi omnium nihil negari potest, & quorum lectus mihi

testis est, & tu ipse adeo, si verum fateri velis, ad quem lecti crepitus pervenit, & dominæ uxoris tuæ vox in complexu gannientis. Certè adulteri talia multa conjugia, quæ ob virorum semivirorum ignaviam erant instabilia, jamq; dirimi cæperant, & pænè soluta erant, & diremta, in multis domibus conservarunt. Atq; adeo quocunq; te vertas, & quæcunq; etjam prima & ultima loco excusationis in medium proferas, homo ingrate & perfide: Ingentis profecto beneficij loco ponas necesse est, quod tibi per me filiolus aut filiâ ex uxore tua nascitur. Quippe tu illos pro tuis nutris & educas, eosq; tanquam documenta & indicia te virum esse in actorum libros, quibus filij nati continentur, referri curas. Age, valvis domus tuæ in signum recentis puerperij coronas suspende. Nimirum jam pater haberis. Nostro beneficio consecutus es quod infamiæ tuæ, quâ passim tanquam Cinædus, malè audiebas, possis opponere. Iam jus illud consecutus es, quod habent parentes qui libros genuerunt, meo beneficio ab uxore tuâ & alijs heres scriberis, omnia legata in solidum accipis, & caducum sub conditione legatum, & plura alia commoda, quæ caducis ex conditione adjungi solent, maxime si numerum ternarium tibi implevero, & jus trium liberorum tibi comparavero.

I. Equidem, ó Nævole, ut video doloris atq; tristitiæ tuæ caussas justas & æquas habes. Verum tamen scire cupio quidnam ille contra adferat, & quibus se rationibus excuset.

N. Ille

N. Ille vero me negligit, & relinquit & alium draucum immensi penis tanquam bipedem asinum, qui sese inclinet sibi quærit. Hæc autem de Virrone meo secreta, quæ tibi committo, facinora, memento etiam atq; etiam ut cæles, & taciturnus in animo tuo nostras querelas defigas, & recondas. Nam Cinædus aliquis, qualis meus Virro est, qui pumice & psilobro se levem & glabellum reddidit, si ex amico inimicus reddatur, est res pestifera & exitiosa. Qui enim paullo ante secreta sua scelera tibi crediderat, ille si vel tantillum reveles alijs, ira & indignatione ardet, & odit, suspicans me omnia prodidisse, quæcunq; scivi. Et ob id ferrum, quo me interimat, non dubitat sumere, baculo capiti meo vulnus infligere, valvis ædium mearũ candelã apponere, illamq; incendere. Neq; tu illũ tanquã semivirum & mollẽ alias contemnas, & despicias, eo quod inter tantas opes ac divitias, nulla veneni annona tam cara sit, quã non possint tantillum emere, quo te è medio tollant. Quocirca tu hæc secreta, quæ tibi commisi, occulta leges, & cælabis, ut Athenis Areopagitæ in campo Martio, ubi occulta divulgare scelus & capitale erat.

I. O fatue atq; stolide Nævole, prorsus ut Corydon ille apud Virgilium. Tune adeo simplex es, ut ullum divitis occultum facinus secretum manere posse censeas, qui quidem tot servos & domesticos habeas. Licet enim servi taceant, jumenta, felles, canis postes & marmora loquentur illud & prodent. Atq; age claude Virronis tui fenestras omnes, rimas januæ & parietis vela legant, nequis foris arbitrari

posit

possit quid intus geratur rerum, ostia clausa janua conjunge, lumen è medio tolle, omnes taceant, & nemo prope vos recumbat, qui quid agatis observare possit, & nihil deniq; non facito, quod ad secreta occultanda conducat: Quicquid tamen ille Varro tuus circa mediam noctem cum gallus denuo cantare incipit egerit, illud proximo caupo sciet antequam dies illucescat, inq; tabernâ suâ audiet famosas illas cantilenas, quas de illo librarij, Archimagiri, carminatores, & reliqui pariter fingunt & cantant. Nimirum qui nulla famosa carmina in dominos suos dubitant componere, cum talibus carminibus, & famosis rumoribus sparsis dominos suos ulciscuntur, à quibus baltheis & loris percussi fuerunt. Neq; deerit mane alius quisquam notus tibi & familiaris, qui ebrius & vino madidus te vel invitum in compitis & trivijs quærat, & talibus de Virronis & aliorum infamium scelere sermonibus miseras tuas aures oneret & defatiget. Illos ergo, quos dixi, illud quod antea à nobis petebas, roga, ut taceant. Sed illi arcana non possunt tacere, & mâlunt secreta prodere; quàm rem longè gratissimam facere, & tantum Falerni vini furtim subupti potare, quantum infamis illa Saufeja in sacris bonæ Deæ, quæ pro populo fiunt, bibebat. Quod licet libentissimè faciant, libentius tamen arcana produnt. Cum autem multis nominibus rectè vivendum sit, tum vero potissimum propter hanc causssm, ut tales mancipiorum linguas non temere cogamur. Cum enim servus suâ naturâ totus & integer malus sit, lingua in illo longè

omnium

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0222
DFG

omniũ pessima pars est. Et deterior tamen hic, de quo dixi dominꝰ est (qui propter sua scelera servos suos timere cogitur & nunquam liber erit) illis servis suis, quorum vitam & animas suo pane victu & amictu sustentat.

N. Vt servorum linguam possim contemnere, ô Iuvenalis, utile sane & salutare modo consilium mihi communicasti, ut nimirum rectè & honestè vivam. Quidnã mihi jam consilij communicas, postquam tempus meum inutili studio attrivi, & spem meam frustra habitam & deceptam animadverto. Nam velox ille juvenilis ætatis flosculus, quæ miseræ hujus & angustæ vitæ brevissima portio est decurrere, & ad senũ properare festinat. Nimirum interea dum bibimus, dum delitiamur, corollas, unguenta, & puellas in convivijs nobis poscimus, & oblectamur, senectus, clam obrepit non intellecta neq; animadversa, nosq; occupat.

I. Noli animũ abijcere & timere, mi Nævole. Quamdiu septẽ urbis Romæ colles stabunt & incolumes erunt nunquam tibi tuiq; similibus pathici amici & cinædi deerunt. Ad illos enim, quos dixi, colles undiq; ex omnibus mundi angulis carpentis & navibus terra & mari certatim confluunt, & conveniunt, qui tanquam molles sibi viros quærunt, & unico digito caput scalpunt. Nimirum altera in tempore futuro spes tibi major & melior superest, & restat. Tu tantum arma te ad futura certamina, & erucæ herbis salacibus, qui tibi vires in illa Pygiacá pugna suppeditent, confidẽter dentes infige.

N. Hæc fausta & felicia exempla, & meliorem futuri temporis spem, ô Iuvenalis, propone felicibus & fortunatis

tunatis meæ conditionis viris, at mea fata, & conditio contenta est & acquiescit si concubitu meo, tantum vētrem meum famelicum poßim pascere. O vos parvi, & mihi familiares & mei lares, quos minuto thure, & farre, & tenui corona sacrificans exorare soleo, quando ego olim certas mihi divitias comparabo, quibus in senectute à mendicorum tegete & baculo tutus sim? Quando mihi acquiram capitalem pecuniæ summam, quæ viginti millia H S. fœnus quotannis mihi pariant, idq; pignoribus depositis ut de solutione certus sim? Quando habiturus sum puri argenti pocula, tanti ponderis, ut à Fabricio Censore merito notari tanquam nimia poßint, & duos robustos servos lecticarios qui cervice suâ mihi accommodatâ & suppoßita me de nulla amplius re sollicitum ad clamosos illos ludos Circenses spectandos deportent? Quando mihi præterea erit sculptor aliquis & cælator curvus, & in opere suo industrius, & alter quisquam pictor aut plastes qui multas facies cito poßit pingere. Sufficiant hæc quæ precatus, cum ita fato mihi injunctum sit, ut pauper sim, & nihil horum consequar. Votum profecto hoc meum miserabile est, nec spes mihi saltem, ut horum quidquã, quod petij, consequar. Nam fortuna cum pro me rogatur, surda est & aures suas cerâ obturat ne me audiat, ut Vlysses sociorum suorum aures in navi cera obturabat, ne Sirenum cantus audirent, & ita surdi remiges salvi & incolumes Siculi maris naufragia evitare poßent, & effugere.



Eilhardi Lubini

IN D. JUNII JUVENALIS SATYRARUM LIBRUM QUARTUM ECPHRASIS BREVIS ET PERSPICUA.



ROSTOCHII.

Typis Stephani Myliandrini,

Anno 1602.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0225
DFG



Eximiæ indolis, & exspectationis eruditissimo juveni, Dn.

PETRO. PETRI, SENATORIS ROSTOCHIENSIS BENE MERITI FILIO, PEDANO,

amico certissimo, S.

TRIA hominum genera esse, juvenis doctissime, dicebat Hesiodus: Unum longè optimorum qui per se recta & honesta cognoscerent, & salutari consilio alijs communicare possent. Alterum illorum, qui & ipsi sui valoris & precij viri optimi, qui rectâ & salutaria admonenti sapienter obtemperent. Tertium deniq; illorum,

qui nec ipsi sapiant, nec sapientibus morem gerant, hominum ignavorum, inutilium, & non nauci. Primi generis hâc tempestate in Republicâ Litterariâ paucissimos invenias. Imò verò contra plurimos, qui sibi ipsis semitam non sapiunt, & alteri monstrant viam, & cæci, nec ullâ solidâ doctrinâ & sapientiâ unquam imbuti, alijs tamen sese ad veram virtutem & sapientiam duces offerunt, quos incredibili multorum damno atq; detrimento in avia & devia secum transversum abripiunt, nunquam ad verum eruditionis & sapientiæ fructum ducendos. Longè plures, qui nullius sapientioris salutari consilio admisso, suo arbitrio, nullo fine, nullo ordine, nullo scopo vagantur, nullisq; jactis fundamentis temerario impetu magnis auctoribus, & arduis materijs audiendis, evolvendis imò etiam disputandis manus admoliuntur, unde post aliquot elapsos annos nihil nisi vanam loquentiam, falsam persuasionem, & ut verbo dicam impudentiam, & ignorantiam præmij loco reportent, tandemq; serò, ubi iam vita & ætas relicta est, sapere incipiunt. Quanto magis tibi,

mi

mi Petre, animi feliciori & sapientiori gratulor, qui juvenili hac tuâ ætate Græci illius recordére:

Νέῳ ὢν, ἐδόκουν μοὶ, ἐς γέρων δὲ οὐδέν,

aliorumq; exemplo cautior illorum consilio, ductu, & auspicio vitam & studia tua instituas, qui tot annorum usu, & vita magistra edocti optima judicare, & salutaria in medium consulere norunt. Inter quos primas tenet, & chorum ducit præceptor tuus Paullus Tarnovius, vir tribus linguis & sapientiæ divinæ & humanæ studijs nō leviter tinctus, sed plane ac plenè imbutus. Quorum atq; similium ductu non ad superficiales, ut plerique Rhapsodias & leptologias & Epitomica quædam πέχνια ætatis & studiorum tuorum dispendio deduceris; sed ad illa,

Edita doctrinâ sapientum templa serena,

Quæ te non solum doctiorem, sed etiam meliorem dimittant, & talem, qui optimi & doctissimi parentis vestigia & exemplum virtute, sapientia, & meritis in Ecclesiam DEI, Academiam, patriam & omnes bonos non solum adæquare, verum etiam vincere & superare possit. Atq; hæc

adeo causſa me impulit, ut hunc absolutiſsimi & severiſsimi morum magiſtri Iuvenalis librum tuo nomini inſcriberem & dedicarẽ. Cum tuum animum jam dudum exploratum habeam è meliori luto ab æterno illo & omnipotenti Prometheo efformatum esſe, qui hiſce non cuiuſvis palati exquiſitiſsimis ingeniorum delitijs impense delectetur, ijsq; perfrui & velit & poſsit. Quid autem ab ullo Ethnicorum plenius, uberius, exactius & perfectius de verè bonis, & homini ex voto nuncupandis, dictum vel ſcriptum unquam fuit, quàm quæ auctor noſter, ut jam alias Satyras ſilentio prætream, in Satyra decima vota & ſtudia hominum noxia & exitioſa condemnans, poſteritati reliquit? Et haud ſcio an alius ullus inveniatur auctor, cujus lector compendioſius ad finem ſtudiorum noſtrorum ad Sapientiam & eloquentiam perducatur. Idq; re & opera te experturum recipio, ubi periculum feceris. Vale & fruere, & munuſculum quale tandem ſit, boni conſule, & tuere.

T. *Studioſiſs. & amantiſs.*

EILHARDUS LUBINUS.

LIBER QVARTVS.

IN SATYRAM X.

ECPHRASIS.

IN universo terrarum orbe ab extremo occidentis fine Gadibus usq; ad Gangen Indiæ fluvium, ubi Sol oritur paucissimi mortales inveniuntur, qui remotâ ignorantiæ atq; erroris nebulâ vera bona, & mala quæ à bonis immenso intervallo remota sunt dinoscere possint ac discernere. Quidnam enim est, quod nos vel tanquam malum timemus, aut tanquam bonum appetimus per rectam rationem, & sanum de rebus judicium? Aut quidnam tandem tam prostero à Dijs animo petis & concupis, ut te petitionis ac desiderij tui olim non pœniteat, & voto tuo à Dijs esse satisfactum? Nimirum Divi, qui nimis faciles ac proclives sunt ad vota hominum audienda, & promti ad dandum quæ petuntur, sæpè mala & noxia, multorum totas domos atq; familias funditus everterunt atq; perdiderunt. Nam illa

homines passim à Dijs petunt, quæ pacis & belli tempore possessoribus noxia & pestifera sunt. Sic multis sua eloquentia & dicendi copia torrentis instar abundans & fluens, quam toties improbis precibus exoptarunt, fraudi & exitio fuit. Alter immensis corporis viribus & admirando lacertorum robore confisus vitæ finem sibi invenit. Longe plures inveniuntur, quos pecunia magnis curis & laboribus ærumnosè congesta, & immensus divitiarum census, qui tanto suâ magnitudine reliquorum patrimonia superat, quanto in mari Britannico vastissima illa maris belua Balæna delphinos vincit, strangulat, & suffocat. Hujus rei historia Romana exempla nobis exhibet plurima. Sane imperante diro illo & crudeli Nerone, non tenuioris sortis hominibus periculum erat, sed magnis atq; potentibus. Quippe tum tota militum Neronianorum multitudo Caij Cassij Longini ditissimi domum & L. Annei Senecæ locupletissimi magnos hortos, & eximias Lateranorum potentissimorum ædes, claudebat & obsidebat ne qua possent aufugere. Porro ad pauperes & inquilinos, qui in superioribus ædium cœnaculis habitant raro milites & percussores mittebantur. Nimirum paupertas ubiq; tuta est, divitiæ vero etiam quantulæcunq; meticulosæ, & curis plenæ. Licet enim modicas tantum tecum opes gestes, & puri simplicisq; auri pauca tantum pocula: latronum gladios & longas hastas continuo, si præsertim noctis tempore iter ingressus sis, metues & exhorrebis, & lunâ lucente etiam arundinis umbram à vento agitatæ trepidabis. Contra viator aliquis vacuus

inops

inops atq; nudus, etiam latrone transeunte lætus atq; securus cantabit. Inter vota autem mortalium prima & præcipua sunt, & quæ in omnibus templis ad Deos concipiuntur, De opibus, ut opes atq; divitiæ crescant, ut nemo Romanorum civium nobis sit ditior, ut nostra arca opibus atq; numis plena in foro Romano omnium maxima sit. Atqui qualis & quanta hæc stultitia est, opes sibi expetere cum tantis periculis conjuncta, cum in modicis rebus longè securius atq; tutius vivatur? Nam ex tenuiorum fictilibus poculis nulla aconita & venena bibuntur. Quæ illis divitibus demum formidanda sunt, qui aureas & capaces pateras gemmis distinctas manu tenent, in quibus nobilissimum Setinum vinum ardentem lucidam flammam imitatur. Ex merito ergo magna Democriti Abderitæ, & Heracleti Ephesij sapientia laudanda fuit, quorum alter hanc stultitiam hominum sibi noxia & periculosa petentium, deridebat, quoties vel extra limen domus suæ prodierat, & hominem intuitus erat, alter verò contrario adfectu actus flebat. Verum mirum non est Democritum semper ridere potuisse Nam unusquisq; facile materiam effusè ridendi invenerit, præsertim si ad risum à naturâ proclivior fuerit; Illud vero merito demiramur unde Heraclito lacrumæ ad flendum semper suppetierint. Certè Democritus suo sæculo hominum stultitiâ semper deflebat, homines tamen longè vivebant sapientius, quàm hoc nostro, & carebant illis vanitatibus, quibus jam passim urbs Roma ægrotat, ut est toga purpurea prætexta, & palmata, virgarum fasces, lectica, sella, tribunal, & alia.

Quid Democritum facturum fuisse censes, nonne risu vel emortuus esset, si vidisset ignobilem illum & superbum prætorem, alto triumphali curru invectum, & in mediâ hominum coronâ in circo spectantium, sublimiatum, & eminentem in triumphali palmata trabeâ, purpuream amplissimam togam tanquam velum & aulæum aliquod gestantem, & magnæ coronæ tantum orbem tantumq; pondus ferentem, cui ferendo una cervix non sufficit. Quippe publicus minister unà currum ascendens & a tergo stans & sudans præ pondere hanc manu utraq; tenet, & ne dominus suus consul sibi solus felix videatur in triumphali curru vectus, servus eodem curru portatur & vehitur. His adde alias triumphantium ineptias, ut est sceptrum eburneum in manu triumphatoris, in cujus summitate aquila sculpta est, ut sunt cornicines qui triumphātes ab unâ parte præcedunt, & longissimi ordines comitum & servorum qui ab altero latere triumphanti officij gratiâ præsto sunt & circum equos currumq; triumphantis cives Romanos & clientes albis vestibus ornatos, qui propter centum sportulæ quadrantes in crumena patroni sui triumphantis absconditos amici sunt Qualia profecto si Democritus sua ætate vidisset, longè effusius risisset. Et sic quamvis sobrio illo & prudenti sæculo, risus materiam inveniebat etiam quotiescunq; homo aliquis ipsi occurrebat admirandus ille senex Democritus, qui quamvis obscuro loco natus Abderæ in Thracia singulari sua prudentia demonstravit, magnos etiam & præclaros viros, & posteris suis magna sapientiæ & virtutis exempla relicturos

relicturos inter homines rudes & verveces, & sub crasso atq; obscuro cælo nasci & prodire posse. Nimirum ille omni fortunâ & rebus humanis major vanas hominum curas & sollicitudines, fluxa eorundem gaudia & voluptates irridebat, & cum aliquid adversi sorte minus prosperâ ipsi contigisset, contemnebat, & fortunæ iniquæ atq; minitanti insultabat, & per contemtum suspendij laqueum ipsi mittebat; aut medium infamem digitum ludibrij & ignominiæ caussa ipsi ostentabat. Ex his ergo satis constat, aut supervacanea ab hominibus stultis peti, sine quibus beati vivere possent, aut etiam noxia & perniciosa, propter quæ tamen vota in templis concipere, eaq; chartæ inscripta Deorum genibus ad misericordiam impetrandam cerâ adfigere æquum esse censent. Non desunt alij homines, quos summa potentia magnæ invidiæ exposita in calamitates præcipitat, quos longus & insignis rerum gestarum & honorum titulus arumnis mergit & obruit. Cujus rei patrum memoria exemplum habuimus Aelium Sejanum, qui cum summis honoribus defunctus & proximus ab Imperatore Tiberio fuisset, hac fortuna elatus res novas molitur, & postea oppressus condemnatur, statuæ ejus deiiciuntur, reste in terram trahuntur, & proculcantur. Deinde triumphales etjam statuæ prosternuntur, rotæ bigarum impactis securibus cæduntur, & immeritis æreis vel lapideis caballis in triumphali curru crura atq; pedes franguntur. Postea ignis accensus stridet, eiusq; æreas statuas conflat, & statuæ caput, quod toties tanquam cuiusdam Dei caput, ante à

populo Romano adoratum fuit in caminis cum follibus liquescens ardet, magnique Sejani statua cum crepitu resolvitur. Deinde ex facie statuæ Sejani, qui in toto terrârum orbe post Imperatorem Tiberium secundus erat, fiunt ab artificibus urceoli, pelves, sartagines, patellæ, & aliæ supellectilis instrumenta. In hoc vero Sejano damnato & occiso insigne exemplum inconstantiæ & varietatis vulgi licet animadvertere. Qui enim antè statuas ejus aureas passim tanquam Dei cujusdam coluerant, jam postquam damnatus est, illi his verbis insultant: Pone domi tuæ lauros in lætitiæ argumentum, & coronare: duc candidum aliquem bovem in Capitolium quem Iovi tanquam triumphator immoles. Nimirum tu jam ipse, qui ante alios in spectaculum ducebas, ipse ab alijs spectandus unco in scalas Gemonias pertraheris. Et ita populo mutato omnes ejus interitu gaudebant. Vbi verò à tam tristi & miserabili spectaculo reversus fuit, ita inter se colloquebatur populus: Quàm distorsit labra sua cum occideretur! quam attonitus eius erat vultus! Certè ego, si quid mihi amico credis, nefarium hunc hominem nunquam amavi. Interim tamen scire velim, quid sceleris commiserit, ut occisus sit? Quis ipsum detulerit, quibus argumentis & testibus illum sceleris convicerit. Huic jam respondet alter: Nihil horum, ô amice, Princeps Tiberius solummodo magnam & verbosam epistolam à Capreis ubi in secessu degebat ad Senatum misit, quâ Seianum con-

demna-

demnari & occidi iussit. Bene habet, respondet alter, rem omnem teneo, neq; plus interrogo. Verum quid interea agit populus Romuli ejusq; fratris Remi? Nimirum agit more solito, & eo se inclinat, quo fortuna, & infelices atq; damnatos odit & aversatur. Idem enim populus Romanus qui infelicem Seianum condemnavit, Si Seianus Thuscus, Dea sua patriâ Nurscià favente Tiberium senem secutum oppressisset, immutato animo vel hac ipsa hora Sejanum Imperatorem Augustum salutaret. Nam Romanus Populus jam pridem inde à tempore Julij Cæsaris nullum magistratum per suffragia elegit, omnemq; de illo curam jam remisit, & quem magistratum fors offert, illum ultro amplectitur. Sanè qui populus olim omne imperium & magistratum, belli præfecturam, & reliqua omnia solebat conferre, ille iam se continet, & contentus est, nullâq; de re magis anxius & sollicitus est, quàm ut panem unde vivat habeat, & ludos Circenses possit spectare. Quanta vero iam ignavia illum occupavit! Nimirum qui cum Sejanus occideretur pavidus & meticulosus ita inter se loquebatur. Ego audio multos ex Seiani amicis perituros. Nullum est dubium respondet alter. Magna enim fornacula est, quâ Seiani amici plurimi puniantur. Adeoq; amicus meus Brutidius & ipse inter familiares Seiani præ timore pallidus ad aram Martis ultoris obviam mihi factus est. Malè profecto metuo, ne Tiberius

Tiberius se à senatu malè defensum dicat, & Sejani scelera non satis esse punita, & deinde ut furiosus Ajax in multos crudelissimè sæviat. Quocirca ne & & nos Sejano favisse videamur præcipites curramus dum adhuc in ripa sub scalis Gemonijs insepultus jacet Cæsaris hostem pedibus proculcemus. Verum nete esse est, ut servi nostri hoc videant, quibus imperator libertatem dedit dominos suos accusandi, ne quis dominum suum adstrictâ cervice in jus rapiat. Tales tum temporis de Seiano cum ad supplicium raperetur sermones in populo spergebantur, & talia vulgus secretè inter se murmurabat. Iam ex te quæro: Age exoptasné tibi summos honores ac divitias Aelij Seiani, ut quemadmodum ille, collega Imperatoris saluteris, tantundem divitiarum possideas, tantam potentiam habeas, ut hunc magistratum vel consulem, alium exercitus ducem & magistrum militum constituere, vicarius imperatoris esse, eiusq; munera obire, dum vltra Surrentum in parvâ caprearum insulâ cum Thasillo Mathematico & alijs astrologis in secessu commoratur. Age jam dic mihi. Et sane talia cupis, ut possis aliquem militibus primipilaribus, cohorti prætoriæ, egregijs equitibus, & prætorianis castris præficere. Quidni enim hæc cupias? quæ etiam boni & humani, qui nullum hominem volunt occidere jure possunt appetere, Verum ut vel maximè hac tanquam præclara & prospera ab omnibus etiam bonis appetantur, quomodo tanti æstimari possunt, ubi tristia cum lætis coniuncta sunt, adeo ut par mensura malorum

semper

semper adsit, cum lati aliquid obtigit. Age dic mihi jam, mallesne induere prætextam illam purpuream & consularem Sejani huius, qui in scalas Gemonias trahitur, & maximos honores consequi cum tam calamitoso exitu, an vero in municipio quodam extra Romam, Fidenis, Gabijs, aut Vlubris magna sui parte vacuis & desertis mediocrem magistratum gerere, panno indui, ædilem agere, annonam curare, de mensuris cavere, & vasa iusto minora frangere? Longè profectò meliora mediocria tuta & tranquilla, quam nimia tot periculis exposita. Hinc nimirum fateri cogeris, Sejanum quid verè bonum & optandum esset ignorasse. Qui dum nimios honores, & immodicas divitias sibi exoptabat, numerosas & sublimes contignationes quasi in excelso opū & honorum cacumine sibi exædificabat, unde violentâ ruinâ posteà deturbatus per ingens atq; immane præcipitium altius ruebat. Iam quid M. Crassum cum filio à Parthis trucidatum, Pompejum Magnum cum duobus filijs à Iulio Cæsare & Augusto victum & occisum, & Cajum Iulium Cæsarem qui cives Romanos in servitutem redactos ad sui imperij flagra violenter impulit; evertit atq; pessum dedit? Nimirum ambitio atq; nimia potentia quam omnibus artibus quæsiverunt, & magna illa de totius orbis imperio vota, quæ Dij maligni & malevolentes audiverunt, dantes petentibus adversa & noxia. Nempe pauci reges & tyranni sine cæde & sanguine & incruenta morte ad Plutonem & inferos

feros

feros discendant. Iam de Eloquentiâ & facundiæ gloriâ quid dicam? Quæ nimirum pro summo bono plerisq; reputatur. Adeoq; pueri etiam admodum parvi, qui pro parvo præcio & aße adhuc sapientiam sub præceptore discunt, & quos parvus servulus capsam puerorum in quo libellos reconditos habent custodiens in ludum adhuc sequitur, ulli integris quinq; diebus, quibus quinquatrua Minervæ festa celebrantur, Demosthenis & Ciceronis summorum oratorum Eloquentiam & famam sibi exoptant. At interim tamen uterq; hic orator ob eloquentiam suam periit, & utrumq; superabundans ingenij & eloquij fons in exitium dedit. Nam ob ingenium & eloquentiam Ciceroni iußu Antonij manus amputatæ, cervix incisa, & lingua extracta, & pro rostris, & quibus in Antonium dixerat, adfixa est. Ciceroni, inquam. Neq; enim unquam rostra sanguine alicujus pusilli & vilis rabulæ maduerunt & inquinata sunt. Sane Cicero si tam eloquens non fuisset, si tam malus orator fuisset, quam Poeta, & quemadmodum ineptè & ridiculè illum versum scripsit:

O fortunatam natam me Consule Romam,

si sic ineptè etiam orationes suas scripsisset & recitasset, & præsertim secundam illam divinam & nunquam morituræ famæ Philippicam, in quâ omnibus ingenij & eloquentiæ nervis in Antonium fulminavit; Antonij gladios, & omnia deniq; pericula facile potuisset contemnere. Illum Demosthenem etiam sæuus & miserabilis exitus è vita sustulit, cujus immensæ Eloquentiæ flumen, quo totum Athenienſem populum in

theatro

theatro congregatum regebat & moderabatur, tota Athenarum urbs cum ſtupore admirabatur. Nimirum qui contra Macedonas populum Athenienſum exhortatus magnorum bellorum cauſſam exhibuit, & tandem ab Alexandro Magno ad ſupplicium poſtulatus venenum hauſit & mortuus eſt. Certe ille Dijs adverſis maloq; fato in pœnam genitus fuit, quem pater Demoſthenes faber ferrarius, cuius oculi fumo & fuligine ardentis maſſæ ferreæ continuo fluebant, ex officina fabrili, carbone, forcipibus, malleis, & incude ſuper qua gladij parabantur & lutoſo deniq; ac nigro igne in ſcholam ad Rhetoremlſæum miſit, ad illam artem addiſcendam, quâ poſtea ſe ipſum & pleraq; præcipitavit. Quid de Ambitione & gloriâ bellicâ dicam? Nimirum, victoria & ſpolia quæ devictis hoſtibus in bello exuuntur, & fracta arma, ut lorica, & oris tegmen de fracta caſide dependens, & jugum equorum temone carens, & apluſtre triremis navis victæ, & alia quæ detruncatis arboribus tropæi loco erectis in editiore colle adfigi ſolent, & hoſtium dux captiuus in arcu triumphali ſpectandus poſitus triſtis & mœſtus: Hæc quæ dixi omnia pleruq; prorſus divina & majora omnibus rebus mortalium creduntur. Ad hæc bona, hanc victoriam bellicam omnes principes atq; reges terræ reſpexerunt, hanc Romani, hanc Græci, hanc Barbari totis viribus adfectarunt, atq; inde ex victoriæ laudisq; bellicæ cupidine in ærumnas, labores, & pericula ſeſe conjecerunt. Tanto nimirum major eſt famæ vel gloriæ cupiditas, quam virtutis. Quis enim

virtutem

virtutem ipsam nudam & solam curat, si præmia nulla ipsi sint proposita. Interim tamen hæc famæ & gloriæ vana cupiditas in nonnullis, & desiderium laudis atq; insignis tituli rerum gestarum, sepulchris inscribendi (quo & ipsa tamen ut innatâ in illis malâ arbore caprifico facile frangi & deleri possunt, quoniam ipsa etiam sepulcra temporis edacitate absumuntur) patriam sæpe obruit, & calamitatibus funditus oppressit & delevit. Hujus rei si documentum requiris, age librando expende quasi & explora cineres Annibalis summi illius ducis? Quot libras te extanto imperatore reliquas inventurum censes? Hic tamen ille fuit quem viuum Africa tota & universa, quæ ab occidente Atlantico mari clauditur, ab ortu Nilo calido conjungitur, & versus meridiem ad Æthiopum populos, & Mauritaniâ atq; Libyam elephantorum genetricem extenditur, non capiebat, non saturabat. Nimirum Africæ tot imperijs Hispania additur, nec illa contentus superato altissimo Pyrenæo monte in Galliam transsilit, eamq; invadit. Hinc in Italiam contendit. Verum natura ipsi nivosas illas altissimas Alpes tanquam murum adversus barbarorum impetum opposuit. Verum ille incredibili constantia omnibus superatis difficultatibus oppositos scopulos divisit, & igni atq; aceto adhibito saxa & montes fregit, perrupit, inq; Italiam penetravit. Iamq; Italiam tenet, Capuam sine prælio ingreditur, quatuor prælijs Romanos miserrime adfligit, tamen ultra etiam Romam contendit. Nihil, inquit, hactenus tot laboribus atq; prælijs

à nobis actum est, nisi Africano milite portas urbis Romæ frangam, & victor signum & vexillum in Suburra vico Romæ populosissimo ponam. O vanissimum & ridiculum hominem! Nam qualis ejus facies quàm ridicula futura erat, si risus gratiâ in tabellâ depingeretur, dux aliquis unoculus Getulo Elephanti insidens! Quis ergo tandem exitus est hujus tanti Principis, tanti conatus. O gloria vana & perniciosa, quæ tantorum motuum ac tumultuum caussa es! Nimirum tandem tantus Imperator ab Scipione Africano vincitur, & victus ad Antiochum regem in exilium propere se recipit, mox ad Prusiam Bythiniæ regem contendit, atq; ibi qui ante Imperator fuerat, & dum belli magnus & admirandus, clientem agere, prætorio assidere, & regem mane exspectare cogitur, donec regi non amplius dormire, sed vigilare & surgere libeat. Domum hinc animæ insatiabili gloriæ & potentiæ cupiditate flagranti; quæ res humanas regna atq; imperia ante miscebat & perturbabat finem tandem dabit, non hostium gladij, non saxa, non hastæ aut alia tela, sed exigua veneni portio, quam gessit sub annulo, qui modios illos annulorum a digitis nobilium Romanorum ad Cannas detractorum, & illam famosam cladem ultus fuit, cum seipsum veneno illo interimit, ne in manus hostium Romanorum perveniat. I nunc demens & insane Annibal per Pyrenæum, & sævas atq; horrendas Alpes in Italiam penetra. Quid jam post mortem ex tantis ærumnis, laboribus, periculis lucratus es? Nimirum ut pueris in scholis oratoriam discentibus materiam a-

aliquam tui laudandi vel vituperandi præbeas, & declamatio fias. De Alexandro Magno, quem in Pellâ Macedoniæ urbe natum accepimus, memorant, quod cum audisset ab Anaxarcho plures esse mundos, uno hoc mundo subacto non contentus vixerit, sed infelix in mundi limite tanquam angusto calidoq; conclavi inclusus æstuarit, non secus ac si exsul in scopulis Gyari aut Seriphi parvarum insularum concluderetur. Ille ipse tamen Alexander tam magnus, cum Babylonem à Semiramide cocto latere olim cinctam occupaverit, à Cassandro veneno aquæ Stygiæ interemtus, quem vivum totus mundus non caperat, mortuus exiguo capulo contentus erit. Sola scilicet mors nobis indicat, quantula nostra sint corpuscula, & quàm exiguis locis includi possint. Græci laudum suarum avidi historijs suis libenter fabulas admiscent. Credamus tamen & concedamus illa omnia vera esse quæ Sostratus Poëtico furore percitus & vino madidus de expeditione Xerxis in Græciam cantavit, Athonem Achajæ montem perforatum, & immisso mari velis navium circumdatum, vastum æquor navibus contabulatum esse mare pontibus constratum, & rotis curruum super pontem incidentium subpositum, profundos amnes defecisse, & integra flumina epota esse, cum Medorum & Persarum immensus exercitus pranderet. Verum Xerxes ille tam immensi exercitus, tam incredibilis classis ductor cum ad angustias Salaminij freti à Themistocle paucis navibus superatus esset, qualis in regnum suum rediit? Xerxes, inquam, qui barbarus & inhumanus

flagris

flagris sævire solitus erat in Corum & Eurum ventos qui ejus pontem dejecerant, qualia à rege suo in antro Æolio nunquam antea passi erant, qui aliquot pariæ compedum mari injecerat, ijsq; Neptunum vinxerat. Mitiùs profectò adhuc pro suâ potentiâ cum Neptuno & ventis egit, & ob hanc suam clementiam quod illos stigmate inusto non infames reddiderit, jure Deorum aliquis ipsi inserviret. Sed ut ad hoc maris atq; ventorum flagellum redeam, qualis ille Xerxes in regnum suum rediit? Nempe unâ scaphâ piscatoriâ trepidus aufugit, per fluctus maris sanguine militum suorum cruentos, & navi ob densa cadavera militum suorum in mari submersorum retardatâ. Nimirum hasce pœnas, & hunc calamitosum exitum gloria bellica, toties vobis à Dijs exoptata, & inexplebile regnandi desiderium tandem ab ipso exegit. Pergo jam ad longæ vitæ & senectutis votum, quod juxta sani cum ægrotis, tristes cum lætis, rubicundi & pallidi ad Deum concipiunt. Quidnam enim votum frequentius est illo? O Iuppiter da mihi longum vitæ spacium, multos vitæ annos. At verò quàm insanum hoc est votum. Nam longa senectus multis & magnis & continuis malis plena est, & obnoxia. Principio aspice quæso in senibus insuavem illam & odiosam deformitatem, vultum deformem & tetrum, & sui dissimilem prorsusq; à priori immutatum, pro jucundâ cute pellem rugosam & deformem, genas flaccidas & pendulas, & tales deniq; rugas in fronte,

quales vetulæ & jam dudum matres annosæ simiæ in Tabracena Africæ regionis opacâ silvâ in vetula facie & fronte scalpere dicuntur. Et multa profecto sunt discrimina, quibus juvenes inter se discerni possunt. Ille enim altero est formosior, & ille rursus altero, velut alter etjam alterum robore & viribus antecedit. Senes verò inter se prorsus sunt similes, eadem in omnibus deformitas, eadem imbecillitas. Membra & vox æquè omnibus trepidat, caput capillorum defluvio æquè omnibus calvum est, nares omnibus æquè pituitâ madent, ut infantibus salivâ mentum, omnes æquè sunt edentuli, quibus miseris inermi gingiva panis contruncandus est. Huic omnes & singuli, suis uxoribus, suis filijs, atq; adeo sibi ineptis adeo gravis & molesti evadunt, ut etjam, quod mireris, hæredipetæ Cosso, qui omnia à senibus orbis perpeti aliàs potest, tædium & nauseam deniq; moveat. Porro exiguam admodum voluptatem ex cibo & potu concipiunt, utpote quorum palatum jam senio stupeat, & hebescat. Nam de venere & coitu nihil jam dicam, utpote quorum jam dudum obliti sunt, vel si aliquid conentur, membris multis senio jam frigidum & emortuum una cum herniâ jacet & languet, & si vel tota nocte fricando constimuletur, languet tamen. Anne enim ulla spes est hisce membris ægrotis & senio canis, fore ut Veneris quidquam repetant? Quid quod non immerito senes illi qui jam languidi venerem sine viribus adfectant, hac suspicione laborent, quasi non eò feminis consuescant ut cum illis concumbant, sed quod irrumatores

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0246
DFG

matores sint, illisq; fellatricibus utantur. Hisce adde jam alia partium corporis damna & incommoda, quod senes si non prorsus surdi saltem surdasti sint. Nam si vel eximius citharædus, imò vero vel Eleneus præsto sit, & præstantissimorum illorum citharædorum quispiam, qui auro & gemmis ornatis vestibus induti, per theatrum cantantes pervagantur, nulla inde voluptas ad ipsum pervenire potest. Quid autem refert in quâ theatri parte talis senex sedeat propiùs an remotiùs qui vix cornicinum strepitus & tubarum clangorem & concentum possit exaudire. Qui si audire debeat quis amicorum advenerit, quot horæ diei sint, opus est ut magno clamore, & ore prope ad aures admoto. Præterea in senum gelido corpore vitali calore ob senectutem jam exstincto minimus jam est sanguis, & nullus fere calor. Quod si aliquando calcat, hoc fit in aliqua præternaturali corporis intemperiè & febri: Quippe quem tot morborum genera agminatim circumvallant, ut si singulorum nomina à me exquiras, longe facilius res prorsus innumerabiles tibi cupedirem, nimirum quot adulteros libidinosa & infamis adultera Hippia amaverit, quot ægrotos Themison Archiater uno auctumno occiderit, quot provinciales socios provinciæ præfectus Basilus spoliaverit, quot pupillos Hirrus ille infidelis tutor circumscripserit, quot viros impurissima illa procera meretrix Maura uno die exsorbeat, quot discipulos puerorum ille corruptor Amillus ad stuprum inclinaverit, Deniq; citius tibi enumerabo, quot villas nunc possideat Lucinius ille qui

jam senator, factus est malis artibus, & mihi juveni barbam gravem vilis tonsor sæpe admutilavit. Sed quid commemorare opus est, quot incommodis senum vita sit exposita? Ille enim humero, hic lumbis, alter coxâ debilis est, alter quispiam prorsus cæcus factus ambos oculos perdidit, & illis qui unum adhuc oculum habent, invidet. Huic chiragra manus contudit, cui ob id ad pallida oris labra cibus ab altero quopiam admovetur, & ob id cum cibum videt ore deducto in rictum hiat tantum veluti pulli hirundinum solent, ad quos mater jejuna ore cibo pleno advolare solet. Verum hæc membrorum damna quamvis gravia senectutis incommoda sint, quibus plerique cæci, surdi, claudi, & corpore ægroti redduntur, longe illis tamen major est dementia, cum organa mentis senes destituit, ratio titubat, memoria flaccescit, quæ etjam servorum domesticorum nomina oblivisci tur, nec illius amici faciem agnoscere potest, cum quâ præteritâ nocte cænavit, imò neq; filios suos quos genuit, & à parvulis eduxit, præsertim si malitia ad hanc dementiam accedat. Nam sic iniquo & sævo testamento liberos suos hereditate suâ privant, & omnia bona ad Phialam meretricem turpissimam transire jubent. Tantum nimirum artifex mulier impuri sui oris halitu atq; tactu quæ multis annis in prostibulo fœdi lupanaris tanquam in carcere prostiterat, quo in sene emortuam libidinem rursus excitare novit. Verum ut vel maximè corpus in senibus validum maneat, & sensus animi vigeant, tamen in longâ illâ vitâ multa,

multa, quæ nolint, ipsis videnda sunt, multa incommoda ferenda, filiorum & filiarum funera ad sepulturam efferenda, rogus, quo carissima conjux comburitur, aspiciendus est, & denique sepulcra quæ cineribus sororum plena sunt, cum gemitu & lacrumis intuenda. Hæc enim pœna illis, qui diu vivunt à Dijs imposita est, ut cum ejus domus, familia, genus, liberi semper novo damno adficiantur, in multo luctu & squalore, in continuo mœrore & planctu, & lugubri pulla veste ad senectutem perveniant. Rex Pyli, filius Nelei Nestor, si Homero illi Poëtarum maximo fides est adhibenda, trecentos annos vixit, & proximè ad cornicis ætatem, quæ nongentos annos vivere creditur, accessit. Nimirum ille opinione hominũ felicissimus fuit, qui tam senex evasit, qui mortem suam per tot sæcula differre potuit, qui tot auctumnos vidit, toties nova poma comedit, toties novũ mustum bibit, & ad tantam senectutem pervenit, ut non centũ amplius vitæ suæ annos siniſtrâ, sed reliquos ultræ centrum dextrâ suâ jam numeret. Verum oro te, qui illum ob senectutẽ beatum judicas, quam miserũ & infelicem ille ipse ob senectutẽ sese putârit, quantum ipse conqueratur de fatorũ legib. nimis sibi longis, nimis iniquis, & de nimis prolixo parcarum stamine, quã atropos non citius abruperit, præsertim cum vidit Antilochum strenuum suũ filium militẽ à Memnone cum patri sibi opem ferre vellet occisum, rogo concremari. Nam ab omnibus amicis qui aderant quærit, cur non ante quam hasce calamitates experiretur mortuus sit, cur in hæc calamitosa tempora vita sua sit servata, quidnam sceleris contra Deos deliquerit, ob quod tã longâ vitâ ab ipsis puniatur.

Hæc eadem quæ Nestor, Peleus etjam merito conqueri potuit, cum senior vidit & luxit filium suum Achillem juvenem robustum à Paride & Deiphobo occisum, & Laërtes senior, cum filium suum Vlyssem tot annis in mari errantem naufragum & natantem audivit. Priamus etjam Trojæ & Asiæ totius rex potentissimus felix fuisset si citius fuisset mortuus, si ei contigisset mori cum Troja adhuc esset incolumis, ante illa tempora, quibus adulter Alexander filius naves illas temerarias ædificavit, quibus alienam Menelai conjugem Helenam urbis Trojæ pestem rapuit. Nimirum tum magnis solemnitatibus cineribus majorum suorum Laomedontis, Ili, & Assaraci & reliquorum fuisset compositus. Hector cum reliquis quadraginta novem fratribus funus patris portasset, mulieres Trojanæ & filiæ Priami exstinctum regem patrem luxissent, & Cassandra tanquam voles mortis patris præscia primos planctus edere incepisset, & Polyxena, cum Creusa, Iliona, & reliquis sororibus vestibus scissis ipsam fuissent insecutæ. Quidnam igitur profuit ipsi tam diu vixisse? Nimirum ut regnum suum, & omnia in illo eversa videret, & universam Asiam imperium suum ferro & flammis cadentem. Tunc ille in illâ urbis suæ ruinâ omnia deplorata videns depositâ regiâ veste miles jam senili ætate tremulus arma induit, & à Neoptolomo Achillis filio miserabilior occisus ante aram magni Iovis Hercij concidit, non aliter atq; bos aliquis vetulus, qui jam aratro ob ætatem inutilis contemnitur, & macilentum suum & miserabile collum ingrati

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0250
DFG

ingrati domini sui cultris incidendum & mactandum exhibet, & mactatur. Atqui exitus ille Priami quamvis longè miserrimus, utrunq; tamen adhuc tolerari potest, cum homo mortuus sit. Verum uxor ejus Hecuba, quæ post hunc vixerat longe fuit miserabilior, quæ cum Polymestore Thraciæ regi, filium Polydorum ab illo nefariè occisum ulta, oculos eruerit, à Thracibus lapidibus petita formam humanam deperdidit, & in canem versa canino victu petentes allatravit. Verum ne nimis prolixus sim pergam ad nostra Romanorum exempla, & silenter præteribo externa reliqua, ut regem Ponti Mithridatem, qui à Lucullo, Syllâ Pompejo ter victus fere septuaginta annos natus seipsum demum è medio sustulit, & Crœsum Lydorum regem, qui cum se beatum putaret, à justissimo illo & facundissimo Solone Sapiente jussus est ultimum vitæ suæ finem respicere antequam se felicem deputaret, & qui postea à Cyro victus regnoq; exutus rogo comburendus vivus fuit impositus. Ad Cajum Marium Romanum me converto. Scilicet ex longâ vita & senectute calamitatis suæ caussas habuit, quod à Syllâ victus in exilium pulsus, in Minturnarum paludibus delitescere fuit coactus, quod inde extractus in carcerem conjectus est, quod inde elapsus in Africam venieus in ruderibus Carthaginis victæ panem mendicare coactus fuerit tantus dux tantus imperator & triumphator. Certe nemo hoc Mario beatior in Locris extitisset, neminẽ unquam feliciorem urbs Roma vidisset, si tunc mortuus fuisset, cum Teutonas & Cimbros in Italiam irrum-

vumpentes devicisset, deq; illis triumphasset, cum à Teutonico curru post triumphum voluit descendere, postquam omnem pompam, & ingens captivorum agmen in urbe circumduxit. Pompejus qui ob res maximas gestas Magnus dictus fuit, in Campania, quæ ipsius dignitati optimè consulere videbatur, gravi febri fuit correptus. Febri profecto, quæ ipsi optanda erat, ut ipsum vitæ & futuris calamitatibus eriperet. Verum publica hominum vota in multis urbibus pro ipsius salute facta morbi violentiam superarunt. Quo factum est, ut adversa ipsius fortunâ cum immenso urbis detrimento civili inter ipsum & Cæsarem bello exorto, à Cæsare victo Pompejo, caput quod à febre servatũ erat, amputaretur, miserabili prorsus exitio, & graviore quam quod, qui in Rempub. conjuraverant, perpessi sunt. Nam Lentulus & Cethegus ac reliqui hoc cruciatu, & pænâ capitis amputatione caruerunt, quippe qui laqueo suffocati integri in carcere mortui sunt, & caput conjurationis Catilina dum in bello contra Romanos hostes fortiter pugnans occidit, toto & non mutilato cadavere inventus est. Ad vota pulcritudinis & formæ transeo, quibus videre est matres plerasq; eo dementiæ procedere, ut cum templum Veneris ingrediuntur prolixis precibus filijs suis, prolixioribus adhuc filiabus pulcritudinem & formositatem exoptent, etjam usq; ad delitias & luxuriam amantium. Verum si quis hæc noxia petentibus vota condemnet, objiciunt & dicunt: Cur tu hæc suis liberis petentes objurges, ô Iuvenalis, cũ hæc faciant Deorum exemplo.

Tamen

Tamen ipsa Latona formositate filiæ suæ Dianæ delectatur. Verum ut vel maximè Diana hoc faciat, è diverso Lucretiam intuêre, quæ ob formositatem à Sexto Tarquinio stuprata, sibi manus inferens, suam pulcritudinem nulli exoptandam esse monet. Et Virginia L. Virginij filia pauper ab Appio Claudio Decemviro ob formam amata, cum castitatem conservare prorsus non posset à patre cultello occisa, maluisset potius deformis & gibbosa fuisse, quales Rutila illa nonaginta annorum vetula, & suam pulcritudinis formam, cum tam calamitoso eventu Rutilæ fuisse concessam. Nec virginibus & feminis solum, verum etiam juvenibus pulcris summum periculum passim propositum. Nam filius quisquam eximiæ pulcritudinis parentes semper anxios & trepidos habet, ne forte ametur, vel ille ultro alias amet. Usq; adeo rara concordia est formæ cum pudicitiâ, Romæ præsertim. Licet enim aliquis in incultâ atq; simplici domo ab omni lascivia & libidine aliena, quales olim pudicissimæ illæ Sabinæ incoluisse dicuntur, educatus sit, & ibidem mores sanctissimos ac pudicos à primis unguiculis imbiberit: Licet etiam aliquis à naturâ, cujus vis omnem institutionem, curam, & custodiam longè superat aliquis ingenium castum, animum pudicum, & vultum verecundum, & quod optimi ingenij documentum, pudoris gratiâ rubore diffusum consequatur, quo profecto majus & excellentius pueris nihil potest conferri à naturâ: Romæ tamen illis viris esse, & permanere non licet:

Quippe

Quippe pædiconum & corruptorum tam profusa, tam prodiga est malitia & improbitas, ut ipsos parentes aggredi & tentare non erubescunt eosdemq; sollicitare, ut filios suos ad nefanda scelera sibi prostituant. Tanta nimirum confidentia est in muneribus, quibus passim omnia expugnantur. Huc accedit aliud periculum, quod pulcris imminet, quando à tyrannis rapti castrantur. Nullus sane Nero aut Neroni similis tyrannus ephebum aliquem deformem, aut nobilem puerum loripedem, aut strumosum, aut utero inflatum aut gibbosum in prætorio Eunuchum fecit, aut ad stuprum rapuit. I nunc stolida mater & pulcritudine filij tui lætare, qui in majora adhuc, quàm hæc, quæ dixi, pericula propter formam suam incidet. Quippe ille ab ab omnibus matronis sollicitabitur, publicus omnium feminarum adulter fiet, omnesq; illas pœnas metuere cogetur, quas adulteri deprehensi maritis iratis debent, & persolvere coguntur. Non enim homo cum sit, felicior erit constellatione illa Martis cum Venere deprehensi, ut, quemadmodum ille, in vincula & laqueos non aliquando incidat Quam verò atroces illæ sunt pœnæ! Certè ille dolor, quem mariti ex adulterio conjugis cum mœcho deprehensæ concipiunt, pius interdum pœnarum à deprehensis adulteris exigit, quàm lex ulla dolori indulsit & concessit. Hic enim ferro illum necat, alter cruentis verberibus ad mortem ipsum lancinat, quibusdam etiam mœchis capitonem illum piscem mugilem per posteriora immittere solent atrocissimo supplicij genere. Sed nimirum pulchellus

ille

ille tuus Endymion formosas tantum & ob id delectas matronas amabit. Falleris delira mater. Imò vero ille matronarum omnium mancipium precio conducendum, ubi deformis illa mœcha Servilia ipsi nummos dederit, fiet etiam adulter alicujus turpis atq; deformis mulieris, quam non amat. Neq; enim illa aliquid filio tuo denegabit, quæ etiam omnem corporis ornatum exuet, & filio tuo dabit. Quid enim illa mœcha adultero suo denegabit, ut libidinem suam in membris prurigine udis explere possit, sive illa alias prodiga sit ut ut Hippia, de quâ supra, sive avara ut Catulla. Femina enim quæ alias deterior est in erogando aliquid in adulterum optimè morata & liberalis est. At dices mihi: Si castus quispiam sit, quid illi pulcritudo potest nocere. Imo vero sæpe illis quibus maximè casti pudoris decus servare animo stat maximum est periculum. Quid enim formoso illi & casto Hippolyti gravè illud castè vivendi propositum olim profuit? Nonne ille cum novercæ Phædræ concubitum recusaret ab ea-dem apud patrem Theseæ criminis insimulatus, tanquã qui novercæ sibi vim voluisset inferre, à patre in exilium missus in fugâ à quadrigis discerptus fuit? Quid autem Bellerophonti castitas profuit, qui à Sthenobææ Præti regis conjuge ad concubitum sollicatus, cum illam repelleret, apud regem eodem modo falso ab ea insimulatus, ut qui sibi vim intulisset, immensis ob id periculis & ærumnis fuit expositus. Nimirum hæc Sthenobæa tanquam repulsam passa & contemta erubuit, nec minus irâ & furore excanduit, quam Phædræ

dra illa Cretensis, utraq; enim se percusso latere aut pectore ad vindictam exstimulavit. Mulier autem tunc omnium truculentissima est, cum pudor ex contemtu odio & furori iræ calcaria aut stimulos addiderit. Sed quid externis exemplis opus est? Cajus Silius juvenis optimus & formosissimus inter omnes patritios à Messalinâ absente Claudio Imperatore conjuge adamatus, & ad conjugium sollicitatus est. Age jam si ab illo in consilium adhibearis, elige quidnam censes ipsi suadendum ut faciat, & mortem effugiat? Cæsaris enim uxor, quæ ipsum recusantem & cogere & occidere potuit, ipsi vult nubere, cujus oculis, quod nimium, miser ille placuerit, lethale ipsi extitit. Iam dudum illa ad nuptias omnia præparata habet flammeo sponsarum more velata sedet, lectus nuptialis è Tyrio cocco purpureus in hortis Lucilianis jam dudum palam sternitur. Promittuntur Silio ex veteri consuetudine loco dotis decies centena millia Sestertium, veniunt notarij, qui tabulas matrimonalis contractus obsignent, & auspices, sine quibus nullæ legitimæ fiunt nuptiæ. Hæc omnia palam fiunt, quæ tu miser Sili secreta fore, & paucis tantum committenda censebas. Falsus es miser. Messalina n. tibi non vult nubere nisi legitimis nuptijs omnibus consciis. Hæres adhuc, & quid facturus sis dubitas? Dic tantum quid tibi placeat. Nisi parere & Messalinam ducere velis occideris ab ipsâ antequam nox adveniat. Sin contra adulterij scelus admittas, & Messalinam ducas parva unius & alterius diei vitæ mora tibi indulgebitur, dum Tragicæ hæ vestræ nuptiæ

quæ

quæ toti urbi & omni populo notæ sunt, ad Imperatoris Claudij aures Hostiæ commorantis perveniant. Ille enim omnium ultimo dedecus atq; infamiam familiæ suæ per adulterium conjugis illatam, tandem resciscet. Interea tu, Sili, si paucorum dierum vita tanti adhuc tibi est, ut illam malis eligere, quàm hodie mori, obsequere imperio Messalinæ, & brevis temporis voluptatem boni consule. Quicquid autem ex hisce duodus malis gravius aut levius putaveris, perinde est. Candida illa & pulcra tua cervix tibi gladijs incidenda est. At dicet mihi hic aliquis, si neq; opes neq; honores, neq; robur corporis, non eloquentia, non gloria, non senectus, non deniq; pulcritudo & venustas corporis à Dijs petenda sunt, homines prorsus nihil Deos orabunt. Si meum consilium vis, ô homo, Tu tantum optima à Deo pete, cæterum ipsi Deo expendendum permitte, quid tibi bonum sit & conveniat, & rebus tuis utile sit & salutare. Deus enim quia sapientissimus est potest optima eligere, & quia bonus est vult dare, & pro illis jucundis, & dulcibus opinione tuâ, quæ tu à Dijs contendis, aptissima & convenientissima quæq; tibi conferet. Nam homo ipsi Deo longè carior est, quàm ipse homo sibimet ipsi est, qui sibi sæpe noxia & perniciosa à Dijs petit, tanquam sibi ipse inimicus, cum Deus tanquam amicus, non nisi bona largiatur. Nos enim homines stultæ cupiditatis impulsu, & cæca atq; turpi libidine fascinati, conjugem & liberos à Dijs petimus nobis fortasse pernicioses. Verum ipsi Deo notum est qui pueri & qualis uxor futura sit. Veruntamen ne

prorsus

prorſus hominum vota & preces videar tollere, ut aliquid à Dijs petas, & te voti reum in templo facias Deoq; in ſacrificium adferas delicata victimarum exta & candidi porci tomacula rebus divinis adhibenda, Ora Deum valetudinem animi & corporis, ut ſit mens ſana in corpore ſano, Poſce animum fortem & magnanimum, qui nihil rerum humanarum treptdet, atq; adeo ipſos mortis terrores contemnat, qui extremum vitæ ſpacium mortem inter munera naturæ ponat, quæ ſinguli ſubire cogimur & nemo evitare poteſt, qui quoſcunq; labores fortiter ferre poſſit, qui neſciat irâſci, nihil cupiat, atq; adeo multo dolore aut voluptate ab honeſto vitæ propoſito ſeſe abduci patiatur. Deniq; qui in vitâ ſuâ Herculem potius quàm Sardanapalum aliquem velit imitari, & longè potiores & eligibiliores credat labores ærumnas, dolores & pericula quibus viri fortes in vitâ humanâ exercentur, quam cænarum lautitiæ, ſcortorum, greges, Veneres, plumei lecti & pulvinaria, & omnes deniq; mortuæ vitæ delitias. Monſtro quæ optare tibi debeas, & quid opus eſt illa à Dijs optare, quæ ipſe tibi per virtutem & honeſtam vitam comparare & dare poſſis. Certè unica ſemita ad tranquillam & beatam vitam per virtutem rectamq; rationem tibi ſternitur & patet. Quod ſi prudentia & recta ratio nos munierit, nullum numen à nobis aberit, omnia felicia & benigna erunt, & ſatis tuti erimus ab omnibus fortunæ minis, quæ nullum jus nullum imperium in nos habebit. Verum nos vani & ſtulti ipſam fortunam hoc eſt ignorantiam

rantiam & imprudentiam noſtram Deam facimus, & in cœlum inter numina collocamus, cum potius prudentiam ac ſapientiam, id eſt, naturam, virtutem, veritatem, & rectam rationem veriores Deas colere & ſequi deberemus.

In Satyram XI.

ECPHRASIS.

CVm unicuiq; pro facultatum ſuarum ratione ſumptus faciendi ſint, Perſice, non immerito ditioribus laudi illud ducitur, quod pauperibus vitio vertitur. Hinc Atticus ille nobilis & dives, ſi eximio apparatu convivium inſtruat, lautus & munificus habetur; Sin verò Rutilus ille, qui bona ſua gulâ jam attivit, idem faciat, demens & parum ſanus judicatur. Nihil enim à populo Romano effuſiore riſu excipi ſolet, quàm ſi pauper quisquam ſumtuoſus & luxurioſus eſſe velit, qualis erat Apitius. Nimirum Rutilum illum in omnibus, conviviis, thermis, theatris, circis, & deniq; omnibus locis ubi homines ſtant inter ſe colloquentes, irrident, quod cum gulâ & luxu bona ſua prodegerit, dum adhuc juvenis membris integer eſt, & corpore robuſtus, armis & galeæ portandis ſufficit, & juvenili ſanguine adhuc fervet, ſeſe ad magiſtrum gladiatorum confert,

ut ibi armorum leges & præcepta scribat, & gladiatoriam arte n addiscat. Et quam turpitudinem in nobili equite Romano tribunus quidem non mandat vel imperat, sed neq; eandem prohibet. Sane magna Romæ luxuria etjam in illis, qui ære alieno obruti sunt, & ruinæ proximi. Nam videre est multos obæratos Romæ, qui creditores suos sæpius tergiversando, vel sui copiam non faciendo ludificati sunt, nullo in loco citius ab ijsdem debitoribus deprehendi posse, quàm si illos exspectent in introitu macelli, ubi delicatissima fercula sibi emunt, & ex pecuniâ sibi credita luxuriantur. Atq; adeo inter omnes illos, qui tantum propter gulam & luxuriam vivunt, & palatum lautissimis ferculis exhilarent, quisquis est omnium miserrimus, & cito defecturus & creditores falsâ fide fraustraturus, quemq; adeo jam patet ruinæ esse proximum, ille eo egregius, eo melius, & lautius cænat. Interim quamvis obærati prorsus sint, jam jam defecturi, in aëre aqua & terrâ omnibusq; adeo elementis nobiles aves, pisces, & feras in cænas sibi exquirunt, & nulla precij magnitudo illorum appetitui & desiderio obstat. Imò verò si penitiùs in illorum animos inspicias, quo fercula cariora pluris emuntur, hoc illis sunt gratiora. Hinc nimirum cum omnia carissima emere studeant, facile possunt tales decoctores magnam aliquam pecuniæ summam quam mox deperdant à creditoribus sibi acquirere, & capax aliquod & amplum vas fictile ferculo quadringentis numis constante delicatissimè præparare, præsertim si adhuc lances, & alia utensilia vel imagi-

nem

nem matris auream vel argenteam habeant, quam frangant, & pignoris loco creditoribus opponant. Atq; his adeo artibus nobiles nostri Romani patrimonia sua decoquunt, & deniq; ob inopiam coguntur ludij & gladiatores fieri, & à delicatißimis ferculis sese conferre ad cibum gladiatorum ex quam pluribus mixtum, vilem & miserabilem. Multùm ergo refert & interest, quisnam hæc quamvis eadem fercula sibi præparet, & condiat. Nam in Rutilo illo de quo dixi, luxuria & vitium merito dicitur. In Ventidio verò nobili & locuplete nomen jam laudabile liberalitatis & magnificentiæ sibi sumit, & à magno vel parvo censu liberalitatis vel luxuriæ famam sibi contrahit. Cum unusquisq; rationem facultatum suarum cognoscere debeat, nec sumtibus & impensis sese illis æqualem gerere, quibus par vel æqualis non sit. Certe ille tanquam stolidus & ignavus jure contemnendus est, qui in rebus extra se inutilibus mirè ingeniosus est, in metiendis vero suis facultatibus cæcus est, & vecors, qui novit, quantâ sublimitate Atlas ille Mauritaniæ mons omnes in Libya reliquos montes superet, & interim ignorat quanto intervallo exiguus sacculus numis plenis distet ab arcâ ferro munitâ alicujus ditißimi civis Romani auro & argento plenâ. Nimirum illud oraculum, Nosce teipsum, è cælo delapsum, omnium mentibus & pectoribus infigendum & tractandum est in omnibus vitæ partibus. Quod in contrahendo matrimonio unumquemq; admonebit, ut parem ducat, in

ambiendo magistratu unumquemq; cavere jubebit, ne quid cupiat quod non capiat, vel cui gerendo æqualis non sit. Neq; enim imbellis ille & ignavißimus omnium Græcorum Therßites arma illa cælestia Achillis sibi poscebat, quibus sese indignum esse sentiebat. Et in quibus sibi postulandis Vlyßes ille quamvis prudentißimus & fortißimus sese ancipitem & dubium versabat, ecquid etjam illis dignus judicari posset, sibiq; illa jure arrogare. Si etjam causidicus sis, & causam quampiam in maximo periculo constitutam debeas defendere, tuas ingenij & eloquentiæ vires prius consule & perpende, ne quid illis majus in te suscipias. Tecum habita, & tibi ipsi dic, quis sis, quid facundiâ possis & valeas, ecquis vehemens, & gravis orator sis, ut Cicero vel M. Cato, an vero vilior & minor sis qualis Curtius Montanus, aut Matho. Explorandum enim & perpendendum tibi est, quæ eloquentiæ aut facundiæ tuæ mensura sit, & illa mensura non in eloquentia solum spectanda est, verum etjam in reliquis omnibus rebus, maximis & minimis, etjam cum piscem aliquem volueris emere. Neq; enim plura debes velle, quàm potes, neq; desideres precioßum aliquem piscem mullum, cum tantum numulorum solummodo habeas in loculis, quibus gobionem tibi possis redimere. Quis enim exitus aut eventus te exspectabit, certè miserabilis, cum pecunia deficit, & gula & luxuria tibi crescit, postquam & æs paternum, & omnes res à parentibus tibi relictas inexplebili ventris tui voragine decoxisti, qui omnia potuit capere & decoquere fœnus cum ingenti argenti

genti summa capitali, cum pecore, agris, villis, & integris prædijs. A talibus autem luxuriosis bona sua decoquentibus postquam omnia jam prodegerunt; omnium ultimo loco alienatur annulus, & postea Pollio Romanorum nobilissimus digito nudo mendicare cogitur. Talibus autem luxuriosis non usq; adeo præmaturo exitus, aut calamitosum mortis genus formidandum est, quàm senectus quæ omni morte magis illis metuenda est, cum nimirum mendicare, & omnibus ludibrio esse coguntur. Hi autem plerunq; gradus sunt, quibus tales nepotes ad summam paupertatem, & fidei violationem atq; defectum rediguntur: Principio pecuniam in fœnus sumtam conducunt, & illam coram creditoribus pecuniæ dominis luxu decoquunt & absumunt: Inde postquam ex illâ credita pecunia paullulum, & nescio quid, fermè nihil reliqui est, & creditor qui pecuniam in fœnus dedit metu jam pallet, formidans ne usuram cum capitali summâ deperdat, jam ob alienum æs sedem & locum mutant, & Bajas ad locum Campaniæ amœnissimum, & ad Ostia confugiunt ubi portus in exitu Tiberis, ut ibi si urgeantur à creditoribus navi possint aufugere. Romæ enim fidem violare, & ob alienum æs foro cedere, jam nulli turpius existimatur esse, quam si quis è Suburrâ vico Romano nobilissimo hominum multitudine æstuante sese in Esquilinum montem frigidiorem & editiorem conferat. Hoc unum illi, qui patriam fugere & foro cedere coguntur dolent, & cum mœrore ingemiscunt, quod ludos Circenses per annum relinquere, coguntur. Adeoq; civibus Romanis

ne minima quidem pars pudoris & sanguinis in fronte reliqua est, quos quidem tantæ turpitudinis non pudeat, & pauci adeo Romanorum civium pudorem ridiculum, & ex urbe jam prorsus exsulantem curant & morantur.

Periculum hodierno die facies, mi Persice, ecquid alienam à sermone meo vitam geram, ecquid illa, quæ de frugalitate, & ut quisq; semetipsum cognoscat, ultraq; suas vires sumtus non faciat, pulcherrimè à me dicta sunt, vitâ, moribus, & reipsâ deniq; non præstem; anne verò sim ex illorum hypocritarum numero, qui coram alijs vilissimum è siliquis & alijs leguminibus cibum laudem & commendem, & interim occultè ganeorum & popinarum cuppedias consecter, qui alijs præsentibus faciles & parabiles ex pulte cibos mihi parari puero imperem, sed clam, ut placentas & alias luxuriosæ gulæ delitias mihi paret, in aurem ipsi insusurrem. Cum enim receperis te hodie convivam mihi futurum, experieris me hospitem tenuem & frugalem, & talem adeo, qualem Evandrum regem expertus est Hercules ille monstrorum domitor, aut ille alter hospes, qui & ipse tamen Deos sanguinis sui origine & cognatione continget, Æneam dico, quorum hic in Numicium fontem prolapsus aquâ mersus, ille Hercules in Oeteo monte pyrâ exstructâ flammis combustus & ad cælum missus fuit. Audi jam fercula, ad quæ te invitavi, simplicia prorsus & vulgaria, nullis libis venalibus aut obsonijs delicatis in macello emtis exornata. Ex agro meo Tiburtino parvus quispiam hædus nobis apponetur,

netur, pinguis admodum, & in universo caprarum grege omnium tenerrimus, lactens adhuc, qui herbã nondum attigit, neq; consuevit per ætatem teneros surculos in humili saliceto attingere, & deniq; qui hactenus capellæ matris uberibus nutritus plus lactis habet, quam sanguinis. Cum hoc condimenti loco nobis apponentur asparagi in montibus nati, quos rustica mea, in villo, collegit fuso cum colo tãdiu depositio. Præterea nobis aderunt grandia gallinarum ova una cum ipsis matribus gallinis recentia admodum, atq; adeo ex nido è torto stramine facto paullo ante exemta & adhuc calentia: his addentur uvæ per hanc anni partem hiemem succulentæ adhuc & recentes servatæ, quales in ipsis vitibus fuerunt: Et deniq; pyra Signina, Tarentina, & Syria, ex ijsdem canistris allata, in quibus sine ordine reposita fuerunt, quæ suâ suavitate & formositate cum Picenis pyris possint certare, & poma recentis odoris & saporis quæ securè potes comedere, utpote quæ frigore præteritæ hiemis exsiccata asperos crudos & periculosos humores ex auctumni tempore reliquos jam deposuerunt. Hoc jam meum quod tibi exposui tenue profecto & frugale conviviolum si cum alijs conferas, olim nostris majoribus, etjam senatoribus & consulibus luxuriosa & nimia cæna videbatur. Curius Dentatus optimus ille Dictatorum in parvo suo horto vilia olusc̃la ipse colligebat, & in exiguis suis focis ipse ponebat & coquebat, qualia olusc̃la hoc nostro tempore etjam nequam servi in agris compede vincti fodientes ex opere squallidi & immundi cum nauseâ & fastu aspernarentur, qui fossores

hoſce tam luxurioſis ſæculis experti ſunt etiam exquiſitas delitias, quid pingues pulpæ in poſteriore porcæ parte in calidâ popinâ aſſata in ſummis delitijs habitæ ſapiant. Veteres autem contra illa quæ jam à tenuioribus faſtidiuntur in delitijs reponebant, tergum alicujus porci fumo induratum, & in ligneis cratibus pendentibus repoſitum, & lardum ſiccum ſolebant in dies feſtos reſervare, vel natali die cognatis ad convivium invitatis apponere, ad quod lardum adhibebatur nova & recens caro, ſi quæ ex victimâ die natali Genio oblatâ, remanſerat. Ad haſce, quas dixi, veterum patrum delitias aliquis cognatorum ad natalem diem celebrandum invitatorum, qui jám ter conſul fuerat, & ſummus in bello dux & imperator atq; adeo Dictator jam extiterat, tanquam ad inſolitas lautitias citiùs ante horam nonam feſtinabat, ex agro ubi opus ruſticum exercuit, rediens, & ligonem quo montem fodiendo invertit, in ſublime erectum in ſcapulis geſtans. Illis verò priſcis ſæculis, quibus Romani fortiſſimos illos & continentiſſimos Fabios, & Catonem Cenſorium luxuriæ infeſtiſſimum, & Scauros, cum Fabricijs, viros temperantiſſimos; & deniq; cum Publius Decius Cenſor collegæ ſui Fabricij rigidos & ſeveros mores ſeſe è Senatu moturum minitantis, timeret, trepidantes formidabant: nemo Romanorum inter res neceſſarias ſollicitè numerabat, ut haberet nobile & inſigne fulcrum menſæ diſcubitoriæ putaminibus teſtudinum in Oceani Orientalis fluctibus inventarum, ambitioſè exornatum, quibus jam paſſim nobiles noſtri à Trojanis oriundi opes & luxu-

luxuriam suam ostentant. Nimirum illi tantum simplici fulcro utebantur, cujus latus nudum erat sine ullo sustentaculo, in quo altior tantum pars vel frons ex ære erat super modicis lectis discubitorijs prominens, in formam capitis aselli sertis coronati efformatum, circa quod filij familias ruri educati lascivi & petulantes, puerorum more lusitabant. Quemadmodum ergo simplici cibo, ita simplici etiam & frugali supellectili & re domesticâ contenti vixerunt. Tunc enim Romani in armis versabantur, & milites erant rudes & simplices, non solertes in cognoscendis & admirandis Græcorum artificum opificijs, qui se quando urbem aliquam ceperant, & prædas agebant pocula magnorum artificum inter prædas inventa non sollicitè servabunt, inq; precio habebant, sed illa frangebant, ut inde argenteæ phaleræ fierent, quibus equi triumpharent & exsultarent, vel cassis quædam aut galea auro & argento cælata, & in qua pictura lupæ Romulum & Remum geminos Quirinos sub rupe aliquâ admotis uberibus nutrientis, quæ fato vel voluntate Dei Martis feritatem exuere, & mansuescere jussa est, ut sic Romanæ urbis mœnia surgerent, & imperium fundaretur, vel in quâ effigies & imago Martis, qui clypeo & armis venire solet nudi ad Iliam Rheam venientis, Dei hostes Romanorum perdentis & profligantis: Nimirum quâ galeâ armatus in hostem vincendum & periturum prodiret. Quicquid enim auri & argenti habebant, illud non ad corporis ornamenta aut pocula, & alia luxuriæ instrumenta, sed ad arma exornanda transferebant,

aurea & argentea vasa contemnebant, & cibaria sua ex pulte & farre, quibus trecentis annis in alimentum utebantur, catinis & fictilibus vasculis in Thusciâ factis, apponebant, & hâc suâ frugali simplicitate beatissimè vivebant, & quibus felicibus, si etiam vel parum invidus sis, meritò possis invidere. Illis etiam temporibus, Deorum numen quod in templis colebant, longè erat præsentius, & Populo Romano magis favens & auxiliare. Nimirum qui impendentia Romanis pericula avertebant, & annunciabant. Cujus rei documentum tum temporis exhibitum cum Galli Senones ab occiduo littore venientes nocturno tempore clam in urbem irruebant, & magnam ejus partem jam occupaverant. Tum enim temporis Dij vatum officium peragebant, imminentia pericula annunciantes, cum M. Ceditius vocem humanâ clariorem in Capitolio audiret: Gallos Senonas adventare. Nimirum his verbis nos monuit, & pericula à nobis avertit, & hanc curam, ne quid Respublica detrimenti caperet, solebat summus ille Deorum Iuppiter Romanorum Reip. præstare, Iupiter,, inquam, tum temporis statuam fictilem & terream habens, nondum auro & argento per scelera & flagitia parto contaminatus & violatus. Illi priscis temporibus faciebant sibi mensas ex arbore in vicinià, & in Italiâ natâ, non ex citro aut cupresso exoticâ. Arbores enim & ligna in Italia in hunc usum crescebant, ut si quando ventus aliquam nucem, aut aliam quandam annosam arborem ad terram prostraverat aut dejecerat, ut inde mensæ, scamna, & alia varia

varia domestica supellex fieret. Verum nostro tempore divites Romani nullam voluptatem in cœna ex cibo & potu capiunt, nihil ipsis sapiunt pisces nobilissimi, ut mulli aut Rhombi, nihil damæ, aut aliæ delicatissimæ feræ, deniq; preciosa unguenta, quibus cœnaturi inunguntur, & serta ex rosis, quibus coronantur illis videntur fœdi odoris, malè olere & putere, nisi latam & spaciosam citreæ mensæ orbicularem superficiem eburneus pes robustus & grandis sustineat, in modum sublimis pardi & leonis ore in rictum diducto, & linguâ exsertâ, efformatus ex Elephantis dentibus, qui ex Insulâ & urbe Sienâ Romam mittuntur, vel quos Mauri & Æthiopes agiles, aut Indi Orientales Mauris adhuc nigriores Romam navibus deportant, vel quos deniq; Elephas in Nabatheâ silvâ Arabiæ regionis, Syriæ confinâ depositi, jam nimis grandes & capiti suo pondere graves. Hinc nimirum ex mensâ citreâ & pede eburneo Romanis nostris edendi appetitus excitatur, hinc stomacho ciborum desiderium, & edendi rabies nascitur. Nam si quis pedem mensæ argenteum tantum habeat, illum contemnunt, & eo loco habent, quo si quis in digito annulum ex ferro gerat. Ego igitur Iuvenalis, cum hanc Romanorum luxuriam condemnem talem mihi convivam elegi, qui frugalitate mei convivij contentus sit; luxuriosum autem & superbum convivam, qui postulat ut ego eâdem luxuriâ sibi æquales sumtus faciã, measq; res exiguas & moderatas despicit fugio & evito. Tantum n. abest, ut pedes mensæ eburneos habeam, ut nec uncia quidem eboris in totâ

domo

domo mihi sit, non tesseræ tali aut calculi lusorij ulli ex hâc materiâ: Imò verò ipsa cultellorum manubria mihi sunt ossea, & interim tamen dum obsonia illis cultellis incido, illa ob id non fiunt rancida, aut dum gallina inciditur, non eo fit pejor. Porro etiam in cænâ meâ non artificiosus aliquis structor aut obsoniorum incisor erit, cui ob singularem solertiam omnes discipuli in Scholâ vel pergula magistri illius Cripheri (apud quem discipuli artem obsonia cum singulari solertiâ incidendi addiscunt) qui omnis generis fercula ex ligno filo connexa habet, ut sunt sumen, venter suillus in magnis delitijs, lepus, aper, cervi species pygargus, Scythica avis Phasianus, magna avis Phœnicopterus, Gallina Numidica quæ Oryx dicitur, & reliquæ lautissimæ cænæ ferculorum species, quæ ligneo, vel ferreo cultello admodum retuso inciduntur, & in ferculis illis ligneis in totâ Saburrâ populosissimâ regione Romæ sonitum edunt. Meus autem tyrunculus, qui nobis in cænâ ministrabit prorsus in hâc arte rudis est, qui frustum aliquod de capreâ, aut partem aliquam de Gallinâ Numidicâ cum quadâ elegantiâ subducere & abscindere nõ didicit, qui hasce vanitates nunquam discet, & qui solummodo didicit frustrum aliquod exiguæ offæ carneæ destribuere. Porro vulgares vitreos calices, & exiguo redemtos precio porriget tibi puer quisquam non ambitiosè ornatus, sed crassis indutus panno, qui ipsum magis à frigore muniat, quàm ornet; non Delphicus, Phrygius, Lycius formosissimus, aut immenso precio à mangone redemtus. Sed Italus & Romanus, à quo cum quidquam poscis,

Lati-

Latinè ipsum compellabis. Idem vestium habitus omnibus meis pueris est, capilli illis sunt curti & detonsi, nullo calamistro crispati, & quos hodiè tantum propter convivium pectine deduxerunt. Vnus ex illis est duri cujusdam pastoris, alter bubulci filius, qui ex puerorum adfectu cum gemitu & desiderio tristis exoptat matrem suam salutare, quam longo tempore non vidit, & casulam in qua natus est, invisere, & notos hædos, quos diu pavit & custodijt visitare, qui quamvis servus vultu, animum, frontem & pudorem ingenuum & liberalem habet, Et quales esse decet illos nobilium pueros, qui prætextâ purpureâ fulgente & resplendente ac flammigante vestiuntur. Castus etjam & tener adhuc est, non maturioris ætatis draucus, qui testiculos prægrandes pugnos æquantes in balneæ deportet, neq; pilos sub axillis enatos jam per tonsorem tanquam ætate grandior sibi avelli curavit, neq; crassa inguina dum balneæ ingreditur opposito gutto ex pudore pavidus, tegit & abscondit. Hic nimirum pincerna vina tibi ministrabit quæ in illis montibus ex uvis expressa, inq; dolia diffusa sunt, à quibus ipse venit, & sub quorum vertice puer olim lusit. Nam vini, quod bibes, & pincernæ, qui tibi vinum fundet una atq; eadem patria est. Tu forte etjam, Persice, à me exspectas, ut Gaditanam aliquam meretricem in convivium introducam, quæ lasciva cantilena & saltatione pruritum libidinis in convivarũ animis excitet, & ut puellæ tales saltantes & canentes convivarum spectantium plausu approbatæ postea lascivo corporis motu & tremulo clune

ad ter-

ad terram descendant, tanquam stupratores ad sese admissuræ. Falleris mi Persice: Nam non nisi in divitum cœnis & convivijs hæ bonorum morum pestes adhiberi consueverunt. Sanè in quorum convivijs tam obscœna & libidinosa per introductas meretrices oculis passim exponuntur, & spectantur ab honestis matronis etjam marito præsente, & juxta recubante, quæ merito talibus matronis præsentibus quempiã narrare pudeat. Irritamenta nimirum libidinis etjam in ægrotis & languentibus, & acres atq; vehementes irritationes excitatrices stimuli libidinis divitis cujusdam & nobilis viri. Et quod spectaculum longè tamen majorem voluptatem gignit in altero muliebri sexu, qui longè magis hisce lascivis spectaculis accenditur, & in quibus paullo post lasciva cantilena auribus, & obscœna agitatio corporis oculis concepta talem libidinis pruriginem in feminis excitat, ut illius impatiẽtia vesicæ ulterius imperare nõ possint. Hasce vero & consimiles vanarum libidinũ illecebras humilis domus, qualis mea, non capit. Sed dives quispiã, qui pavimentum domus marmore Lacedæmonio orbiculatim stratũ sputo, vel cottabo dũ bibit, lubricum reddit, hosce testarum & tympanovum crepitus, & saltantes meretrices cum verbis turpissimæ cantilenæ tam obscœnis, ut etjam nuda in prostibulo fornicis in quæstu prostans meretrix ab illis abstineat, & omni libidinis arte quantũ potest perfruatur. Nam talibus divitibus propter fortunam & opes ignoscimus. Alea, libido, adulteria turpia & infamia habentur, sed in mediocris & tenuioris sortis hominibus. At illi divites & fortunati

cum

cum omnia eadem faciunt, non solum non damnantur, sed insuper hilares iucundi & lauti inde appellantur. Nostra vero convivia hodie longè alios honestiores ludos vobis exhibebunt. Auctor Iliados Homerus in convivio meo cătabitur, & Virgilij Maronis carmina prægrandis & sublimis, quæ palmam Homeri dubiam & ancipitem reddunt, ut merito dubites utri horum victoriæ palmă attribuas. Quamvis a. puer meus lector rudis sit, tamen non sine singulari voluptate illa audiemo. Quid n. refert quâ voce tales versus legantur? Cum semetipsi suavitate & artificio suo sese satis commendent. Verũ interea tu, mi Perfice, omnib. curis & molestijs dilatis omnia negotia procul à te remove, & vacationẽ ab omnibus sollicitudinibus tibi indulge, cum per totũ diem frontẽ exporrigere & à curis domesticis cessare possis. Noli cogitare de lucro & argento in fœnus dando. Vxor etiam tua si prima luce mane domo egressa nocturno tẽpore reverti solet, mollia sua vestimenta unguẽto & mero madida cũ multis rugis tanquã ab adultero eam amplexando & osculando facta sint suspectis, & comas à petulante mœcho vexatas & cõfusas, & vultum & aurẽ post paullo ante admissum adulteriũ adhuc calentem & rubentem referens, tibi tacito, & hanc infidelitatẽ clausis oculis cum silentio devoranti bilẽ & indignationẽ non concitet, & contrahat. Quin tu quidquid dolet animo, molestum est protinus dum ædes meas ingrederis exue & depone, qualia sunt curæ domesticæ, maligni servi, & illa, quæ ex supellectili domesticâ quotidie frangunt. Ante omnia v. ne memineris illorum, qui tibi benè merito malã gratiã relulerunt. Interea dũ

nos con-

convivamur, alij ludos Circenses spectant, & spectacula Circensia in honorem Magnæ Deûm matris in Idâ vel Phrygiâ Romam advectæ instituta solemniter celebrantur, & per mappam suspensam significantur; & & superbus ille ac inflatus Prætor in sublimi curru tanquam triumphaturus in medio circi sedet, & spectat, & velocissimos atq; optimos caballos ibi sibi deligit, quos postea vili precio invitis dominis auferat. Ac, quod cum pace populi Romani nimij & immensi dicere mihi liceat, tota fere urbs Roma ludis Circensibus capitur, & immensi clamoris fragor spectatorum in circo, aures meas ferit, quo colligo alicui ex factione viridis vel prasini panni victoriam & præmium obtigisse. Nam si ludi Circenses deficerent & abolerentur, ibi vero videres totam urbis Romæ faciem non aliter mæstam, perturbatam, & attonitam, quam tum temporis fuit, cum Consules Romani Paullus Æmilius & Terentius Varro ad Cannas ab Annibale victi sunt, & Romani immensâ clade ad internecionem usq; cæsi: At verò juvenes sanè hosce ludos spectent, quos clamor in circulo congratulantis populi, & audax sponsio & contentio quæ fit depositis pignoribus pro hujus & illius victoria, & cultæ alicujus puellæ colloquium juvat & delectat. At nos seniores ineptias illas & lascivias juveniles contemnentes hoc veris tempore cute senili in rugas contracta solem apricando imbibamus, omnesq; togatorum labores, curas & negotia effugiamus. Iam nunc, mi Persice, quanquam hora demum quinta sit, & solida hora superfit ad sextam, quâ lavare cænaturi consue-

consuevimus, confidenter in balnea ingredere, & illâ ex balneis voluptate audacter perfruere. Quamvis autem balneis cum primis Romani delectentur, tamen si quis continuè illâ voluptate perfruatur, & vel per quinq; saltem continuos dies, brevi futurum est, ut illum satietas capiat. Nam talis desidiosæ & voluptuariæ in balneis vitæ, si quis nimis frequenter illam usurpet, magna etiam sunt tædia. Voluptates enim gratiores sunt & magis commendantur, si quis raro & moderatè iisdem perfruatur.

In Satyram XII.

ECPHRASIS.

HOdierna dies, Corvine, longe mihi gratior & jucundior est proprio die natali, qua nimirum sacrificia Dijs immortalibus ex voto promissa in solemni ex herbâ ac cespite arâ facturus sum. Candidam enim agnam Reginæ Divorum Iunoni, immolo, ejusdemq; coloris agna in sacrificium offeretur Minervæ, quæ caput Gorgonis Meduſæ Mauritanæ in clypeo gestat. Alia hostia Iovi Capitolino immolanda bos candidus & pinguis, funem oblongiorem, quo ducitur lasciviens quatit, & capui concutiens vibrat, & rotat.

Quippe vitulus iam grandior ferox & petulans, jam maturus qui sacrificijs in templis adhibeatur, cui aræ impositò vinum inter cornua spargatur, & quem jam maturiorem lac ex matris uberibus exsugere pudet, quiq; arborum truncos jam natis cornibus petulanter incursat & vexat. Quod si facultates meæ majores essent, & tantæ quantus ast amoris mei in Catullum affectus non vitulum, sed taurum offerrem, & illum pinguiorem, quam crassa illa atq; obæsa mulier Hispalla est, magna suâ corporis mole tardum atq; pigrum, nec in vicinæ regionis herbâ pastum, sed generoso sanguine oriundum ex fertilissimis Clitumni agri Phalisci pascuis, quiq; utpote robustus à robusto etiam ministro victimario ictu in terram deijciendus esset; Eo quod amicus unus Catullus salvus & incolumis redijt, qui ancipitis periculi recordatione adhuc trepidat, utpote qui nuper horrendum naufragium passus est, seq; ex tanto maris discrimine incolumem evasisse maximopere demiratur. Nam præter maris pericula & naufragij casus, quos expertus est, & fulguris ictum, quem evasit, densæ tenebræ ortâ quâdam nube abscondebant, & ignis cœlestis subito ex improviso exortus transversa navis vela & ligna perculsit, cum interim unusquisq; vectorum fulminis ictu attonitus se percussum existimaret, jamq; semimortuus se in ultima mortis pericula venisse, ut incensis velis ac totâ navi, mox combureretur, cum quo malo nullum naufragium jam comparari posset existimaret. Nimirum talis navigantibus tempestas oritur, tam gravis & enormis, qualis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0276
DFG

lis in Ponto Euxino oriri solet, & qualem Poëtæ fingere consuêrunt. Neq; hæc tantæ tempestatis calamitas satis fuit. Ecce autem aliud genus periculi & infortunij, ob quod non minus quàm ob prius, ad commiserationem impellaris; quanquam cetera, quæ sequitur, calamitatis pars, ejusdem sit sortis & calamitatis cum priori, duraquidem, sed multis navigantibus cognita, & cujus imaginem in plurimorum templorum pictis tabulis ex voto suspensis conspiciuntur, in Isidis præsertim templo, quod magnam pictorum partem pascit, dum naufragorum merces suas è navi proïcientium casus depictos votivis tabulis in illâ suspendunt. Eadem calamitas etiam Catullo amico nostro contigit. Cum enim aquæ maris fluctibus impulsæ jam mediam navis capacitatem implevissent, & modo dexterum, modo sinistrum dubiæ & vacillantis navis latus inverterent, & obruerent, iamq; adeo annosus & prudens maris gubernator & ipse de suâ vita & salute desperans nihil auxilij & opis ulterius naufragio laborantibus conferret: cum ventis litem quasi decidere & pacisci incepit projectione omnium suarum mercium, quas vehebat; castorem illud animal imitatus. Quod ubi se à venatoribus obsideri videt, ob testiculos, unde Castoreum medicinæ utile conficitur, illos morsu abruptos abïcit, & aufugit: Sic & ille socios vectores inclamabat: Omnia quæ mea sunt in mare proïcite. Simulq; obvia quæq; è navi in mare provolvebat, reliqua etiam pretiosissima è navi deturbare volens, ut erant

vestes purpureæ, quas etiam mollis aliquis & delicatus vir, qualis fuit Mæcenas, gestare potuisset, & aliæ vestes ex lanâ Bæticâ Hispanicâ, cujus lanæ pecus ipsa natura mirabiliter potu aquæ fontis & occultâ aëris qualitate illius regionis adjuta rutilo colore tingit & imbuit. Quin etjam vasa & pocula argentea in mare objcere non dubitabat, & lances à nobilissimo artifice Parthenio cælatas, & ingentem craterem, qui urnam caperet, qui plenus vel Pholo illi bibaci centauro, sitienti sufficisset, vel etiam conjugi illi Fusci Senatoris ebriosæ & temulentæ. Quin etiam vasa Britannica, quæ Bascandas vocant, tot escaria vasa cibis reponendis accommoda, tot vasa aurea & argentea ab insignibus artificibus cælata, ex quibus olim bibere consueverat Philippus ille callidus Alexandri Magni parens, cui Lasthenes & Eurycrates dato precio Olynthum prodiderunt. Nimirum Catullus memorabili magnanimitatis exemplo opes potius suas, quàm seipsum perdere maluit. Quotus autem quisq; alter præter Catullum in ulla mundi parte inveniretur, qui suam vitam & salutem argento & auro rebusq; externis præferre, non erubesceret? Pleriq; enim homines hac tempestate avaritiæ vitio cæci & insani existimant se propterea vivere ut patrimonia faciant, non autem propterea patrimonia & opes accumulare ut rectius vivant. Interim tamen, quamvis maximam optimarum rerum copiam è navi projeceris Catullus, jactura & damnum tot rerum tempestatem non levant aut imminuunt. Tan-

dem

dem adversa tempestate urgente eo augustiarum recidet & pervenit Catullus, ut malum navis securi dejiceret, seq; impedimentum mali quasi removendo expeditiorem redderet, Tunc autem in ultimum maris discrimen nautæ adducuntur, quando talia auxilia adhibent, quæ dejecto malo navem minorem & leviorem, minusq; vento expositam faciunt. Ite nunc, vos avari opum corrasores & Eucliones; vitam vestram vento & fluctibus committite, & levigatis navium asseribus & trabibus animas vestras concredite, cum inter vos & mortem quatuor, aut ad summam septem digitorum tantum sit distantia, si navis asseres aut tabulæ è tædâ, sint crassissimæ; & cum navigaturi ad navim properatis, cum reticulo in quo panem geritis, & ventrosâ lagenâ in qua vinum viatici loco in navim deportatis, assumite etiam secures, quibus in tempestate naufragio laborantes malum navis prosternatis. Verum postquam tandem sedatâ tempestate mare conquievit, & vectori Catullo & reliquis prospera tempora adversis successerunt, & fatum Catulli inclementiam ventorum & pelagi superarunt, jamq; adeo Parcæ hilares & serenæ magis læta & iucunda vitæ fila non è nigro amplius, sed albo stamine contexerunt, iamq; ventus flare incipit non, ut ante, nimis concitatus, sed sedatus & moderatus: Tunc truncata & miserabilis navis procurrebat, non velis extentis, quæ fulgure & naufragio perierant, sed inopi & pauperculâ arte, quâ suas vestes velorum loco vento extendebant, & dolonem, unum in prorâ velum, quod u-

num & solum reliquum erat. Iam circa matutinum tempus impetuosus ventus auster mitigatus est, & cum Sole exoriente spem vitæ nautæ receperunt, & sublime Albæ Longæ cacumen (qui locus Ascanio gratus fuit, utpote quem condidit, & Lavinio, quod novercæ suæ Laviniæ reliquit, prætulit,) eminus conspexerunt, cui urbi alba illa scrofa, quæ, quod nunquam antea in ullâ sue visum, triginta mamillis, quibus totidem porcellos lactabat, clara & nobilis fuit, nomen dedit: quam Trojani propter oraculi eventum (quo illo in loco, ubi hanc suem vidissent vrbem condere jussi sunt,) non sine admiratione læti & hilares conspexerunt. Tandem Hostiensem portum ingreditur, cujus ab utrâq; parte brachia longe longeq; in medio mari occurrunt, longoq; spatio in mare protensa Italiam post se relinquunt, & prolixo ambitu magnam æquoris partem & Hostiensem turrim nautis in indicium ad modum Phari illius in Ægypto exstructam includunt. Qui equidem portus ab Augusto & Claudio arte exstructus admirabilis est, & reliquos omnes, quos natura exstruxit, longo intervallo magnitudine & amplitudine superat. Et sic tandem gubernator mutilâ illâ & truncatâ nave interora illius portus stagna, qui adeo tutum Sinum navigantibus prebent, ut etjam Bajana quædam naviculæ securè illum traversire possit, ingreditur, ubi nautæ iam egressi, & à naufragij periculo jam liberi tonso capite Iovem salutabant, & obvijs quibusq; tanta naufragij pericula summâ cum garrulitate recitabant.

Quia

Quia verò non sine DEI numine Catullus hoc tanto periculo liberatus & defunctus est, vos ô pueri linguis & animis faventes, quæ ad sacrificium necessaria sunt præparate, & in templorum foribus coronas, & molam salsam cultris quibus hostia mactatur apponite, & focos aras q; è molli gramine, & virenti cespite factas coronis & floribus exornate. Ego vos mox sequar, & subi sacrificium hoc præstantius, Iunoni, Iovi, & Minervæ omni solemnitate observatâ peregero, inde domum me conferam, ubi parva deorum domesticorum è fragili cerâ nitidè factorum simulacra exiguis coronis condecorabo. Hoc enim loco in Capitolio Iovem nostrum deorum optimum & maximum placabo; domi verò meæ Laribus illis, quos majores mei coluerunt thus in sacrificium offeram, & violas omnium colorum, albas, aureas, purpureas, luteas profundam. Omnia jam ad sacrificij solemnitates exornata sunt, in ædium mearum vestibulo janua festa & læta in festivitatis signum longos arborum ramos cum frondibus erexit, & matutino tempore lucernis tegitur & operitur. Hæc autem quæ paro sacrificia, mi Corvine, de inescatione vel captatione tanquam, Catullj hæreditatem ut captator hoc beneficio captem, tibi suspecta non sint. Catullus enim pro cujus incolumi in patriam reditu, tot altaria & sacrificia domi & foris instituo & statuo, non est orbus, sed tres parvos liberos habet. Iam enim Romæ res eo redijt, ut non nisi orbis hujusmodi beneficijs captatores blandiantur. Equidem rem novam & insolitam facio. Tali vero, qualis Catullus est, &

amico tam sterili, qui cum tres liberos ipse habeat, nihil captatoribꝰ relinquit quod sperare possint, vix invenietur, qui vel ægram & moribundam gallinam velit impendere. Verum hæc, quam dixi impensa adhuc nimia est. Imo vero pro tali qui liberos habeat, ne coturnix quidem ab ullo aliàs in sacrificium offerretur. Contra verò si orbus quisquam liberis carens qualis est opulenta illa Gallita, aut locuples ille Paccius ægrotare aut febre corripi cæperit; Tunc videbis universas porticus divitum illorum tabulis votivis à captatoribus pro salute divitis orbi ritè & decenter suspensis obtegi & operiri. Nec desunt captatores heredipetæ, qui vel centum boum sacrificium pro salute orborum promittant. Cum Elephantes, quos alias offerrent, hic non habeant. Illæ enim belluæ neq; hic Romæ venales sunt, nec ullibi in Climate vel regione Italica concipiuntur & generantur. Sed ex Mauritaniâ à nigris illis Getulis huc in Italiam deportantur, & apud Lavinium in Hetruria, ubi olim Rutili & Turnus, immensis sumtibus pascuntur, & ob id Cæsaris, non autem privati cujusdam jumenta aut armenta sunt. Siquidem Elephanti horum qui jam vivunt olim Annibali Carthaginensi, & Imperatoribus Romanis, & Pyrrho Epirotarum regi solebant inservire, inq; dorso turres ferre, ex quibus cohors aut alia certa militum multitudo & exercitus pars in certamen iret, & in subjectos hostes depugnaret. Quod si tales Elephantes etjam à privatis comparari possent, certè Novius ille, & Pacuvius Hister notissimi captatores nihil prorsus dubitarent hujusmodi Elephantem immolare, &

re, & dijs Domesticis Gallitæ matronæ ditissimæ orbæ tanquam victimam sacram offerre. Digni enim sunt Gallita & Paccius ditissimi, quibus tanquam Dijs hujusmodi sacrificia offerantur, & digni etiam sunt captatores illi, qui talia offerant. Alter enim horum Pacuvius, ni legibus prohiberetur, inter omnes suos servos formosissimum, etiam pueros & ancillas pro valetudine orborum votiva tabula pollicebitur, & postea vittis coronatos mactabit. Quin etiam si aliquam nubilem filiam domi habeat, (qualem Agamemnon Iphigenian habebat, quam in Aulide pro salute Græcorum mactabat) illam ad aram ducere, & pro salute amici orbi trucidare non erubescet, licet non speret fore, ut per furtivam filiæ oblationem, & piaculonem per suppositam cervam, de qua cerva multæ Tragœdiæ conscriptæ, (ut Iphigenæ contigit) filia sua etiam liberetur. Ego vero Pacuvium longe magis laudo, & Agamemnoni longè præfero, nec mille illas naves, quas Agamemnon simulato sacrificio in Aulide liberavit, cum testamento illo comparandas puto, quod meus civis pro immolatione felice, quando pro salute amici filiã devovet, promeretur. Nam si ægrotus orbus mortem effugerit, eq; morbo convaluerit, arbitrabitur se sacrificio Pacuvij fuisse liberatum, & tanto tam admirando merito devinctus tanquam naßa capitur, unde egredi nequeat, testamenti tabulas, quibus alios heredes fecit, delebit, & exclusis reliquis uni & soli Pacuvio omnia & universa sua bona paullo post dabit. Deinde Pacuvius ille, utpote solus ex asse hæres constitutus, reliquis heredi-

tatis æmulis & captatoribus victis & exclusis, solus superbus ambulet, & rivalibus suis insultabit. Vides igitur quam ingentem utilitatem hoc adferat, si aliqua filia immoletur, qualis illa Iphigenia Agamemnonis Mycænarum regis filia fuit. Ego vero Pacuvio huic nostro homini, tam pio & bono, longam vitam non invideo, vivat in annos usq; Nestoris, & tantum opum & divitiarum malis artibus ad se trahat, quantum sævissimus illo Imperator Nero scelere & tyrannide rapuit, & acervos auri & argenti magnis montibus exæquet, nec interim ullus sit quem amet, cum opes orborum tantum amet, & vicissim quoq; à nomine verè adametur.

FINIS ECPHRASEOS
LIBRI QVARTI.



Eilhardi Lubini

IN

D. JUNII JUVENALIS

Librum Satyrarum Quintum & Ultimum

ECPHRASIS

concinna & perspicua.



ROSTOCHII.
Typis Stephani Myliandri, Anno 1602.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0285
DFG





Præclaræ indolis, & summæ exspectationis doctissimis juvenibus; Dn.

BERNHARDO CLINGIO,

ET

JOACHIMO ALBINO,

amicis meis carissimis, certissimis.

CRATES THEBANUS dicere consuevit, politissimi juvenes: Si in quandam Græciæ urbem veniret, se elatâ voce ex editiori loco proclamaturum: O cives! quæ vos cæpit dementia? opum & divitiarum quas liberis vestris relinqvatis magnam habetis curam: liberorum verò quibus eas relinquatis prorsus nullam. Sensit nimirum ingeniosissimus Philosophus suo etiam tempore nullam rem viliorem esse, quàm sui cuiq; liberi. Hanc verò

verò objurgatio haud scio an ullo tempore jùstiùs institui posit, quam hoc nostro, quo in plerosque competit Juvenalis illud nostri:

Res nulla minoris Constabat patri quam filius.

Scitum etiam est Aristippi illud, cui cum quidam filium instituendum adduceret, & mercedis loco quingentas drachmas posceretur, & precij magnitudine deterritus diceret: Minoris emere possum mancipium; respondebat: Eme, & habebis duo. Nimirum pleriq; nusquam parciores sunt, quàm si quid in præceptores erogare debeant, quibus & doctiores & meliores reddantur liberi; & longe promtiores sunt etiá maximas impensas in canum & equorum magistros profundere, quam in filij præceptorem. Quid autem absurdius, imo verò insanius cogitari potest, quàm illud, quod est apud hunc nostrum:

Quando miser trepidas ne stercore fœda canino
Atria displiceant oculis venientis amici,
Ne perfusa luto sit porticus. Et tamen uno
Semodio scobis hæc emendat servulus unus:
Illud non agitas, ut sanctam filius omnj
Adspiciat sine labe domum vitioq; carentem?

Nimirum ille demum veras divitias, & genuina bona ex se natis relinquit, qui pueris talia bona coacervat, quibus viri uti possint, quæ fracta nave cum possessore enatare possint, de quibus

bus possessor pronunciare possit: Omnia mea, mecum porto. Virtutem dico & sapientiam.

—— Επεὶ τὸ μὲν ἔμπεδον αἰεὶ.
Χρήματα δ' ἀνθρώπων ἄλλοτε ἄλλος ἔχει.

Quanto major vestra est felicitas, ingeniosi juvenes, qui Dei munere illa ónia consecuti estis, quæ in mundo maxima sunt & habentur. Principiò tales parentes, quæ vel solo suo exemplo vos compendiosissimè ad ardua illa virtutis & sapientiæ studia deducere possint. Vterq; ob virtutis merita, in hâc Academiâ, in Principum aulis supremis locis & magnis rerum subsellijs admotus, de Repub. tam ciuili, quàm litterariâ præclarè meritus perpetuam sui nominis famam posteritati relinquet. Præterea neuter ullis studijs, impensis, & sumtibus pepercit, quò in veram virtutis & eruditionis semitam accuratissimis magistris & præceptoribus præeuntibus duceremini. Nec hactenus tam præclarum in liberos studium & conatus illos irritos habet; quo nimirum vel me ipso teste & judice, sapientiæ fundamenta tam fideliter jecistis, ut modo perrexeritis, ut cæpistis, nihil restet, quin Dei ductu & auspicio, eò, quo tenditis aliquando feliciter pertingatis. Hanc felicitatem vestram agnoscite, eamq; Deo acceptam referte, cumq; ille ingenij & indolis munera ampliss ima liberalissime vo-

bis

bis indulserit : illà in tempore, hâc florente juvenili ætate, quæ vernis floribus citius effluit, ritè & rectè utimini. Cumque jure & merito Horatii illud de vobis usurpem :

Quid voveat dulci nutricula majus alumno,
Quam SAPERE & FARI ut possit, quæ sentiat, & cui
Gratia, forma, valetudo contingat abundè,
Et mundus victus non deficiente crumenâ ?

Hoc unicum reliquum est, ut etjam atque etjam caveatis, ne, cum nihil vobis desit, vobismetipsis defuisse videamini. Bene & feliciter valete, & exiguum hoc munusculum boni consulite. Rostochij, Calendis Augusti, Anni 1602.

V. *Studiosiss. & amantiss.*

EILHARDUS LUBINUS.

In Saty-

In Satyram XIII.

ECPHRASIS.

QVodcunq; malum facinus & scelus alijs nocituro exemplo committitur, Calvine, ipsi committenti auctori omnium primo displicet, quando perpetrati sceleris remordente conscientiâ perpetrantem pœnitet. Atq; adeo hæc pœna & vindicta prima est, quâ homo sceleratus adficitur, quod vir malus peccato admisso, sibi accusator est, & suo ipsius judicio se ob sceleris enormitatem non absolvit, sed quovis supplicio dignum judicat, ut vel maximè judicis fallacis & corrupti gratia improba & homini scelerato indebita justum judicium & urnam rectè judicantium vicerit & superaverit. Accedit quod non solum suo judicio se quovis malo dignum deputet, qui peccavit, verum etiam ab alijs omnibus rectè judicantibus condemnetur. Nonne enim censes omnes illum detestari & exsecrare, qui violatâ fide immenso scelere & crimine depositum adeo fraudulenter abjuravit, tibiq; denegavit. His & tertium

tium hoc addè, quod in re adeo tenui natus non sis, ut mediocrium numorum damnum tuum animum deijcere, & ad desperationem adigere debeat. Deniq; hujusmodi scelera, & damna, quæ adeo iniquo animo pateris, rara non sunt, sed quotidie obvia. Hunc enim casum multi alij experti sunt, utpote assiduo usu jam frequentem, & in fortunis hominum plurimum. Proinde nimij illi dolores & gemitus deponendi sunt. Neq; enim alicujus gravis & prudentis viri dolor vehementior debet esse quàm par est, nec major quàm ipsum vulnus & damnum. Certè tu, quod infidus ille amicus depositum religiosè servandum & reddendum tibi nefariè denegavit, visceribus irâ & indignatione æstuantibus ardes & inflammaris, & malorum damnorumq; levium vix exiguam & levissimam particulam didicisti sustinere. Indigna profecto hæc tanto sene, qui jam sexagesimum ætatis annum agit, natus Coss. Fontejo, adversus talia animum jam olim obfirmare debuisset, neq; hujusmodi scelera tanquam nova cum stupore demirari. Itane verò tanta ætate, tot rerum usu in arte vitæ humanæ nihil in melius proficis. Et ad prudentiam quidem vitæ humanæ rectricem, & fortunæ rerumq; mundanarum victricem plurimum momenti adfert Philosophia & Sapientiæ studium, quod vitæ humanæ rectè gerendæ sacratissimis Ethicis libris præcepta proponit. Atqui & illos felices & prudentes merito dicimus, qui in vita humana longo rerum usu & experientia vitæ humanæ incommoda & casus æquo animo ferre, & è longâ vitâ tanquam

à præ-

à præceptore, didicerunt adversitatis onus non abijcere, & necessitatis jugo non reluctari, & patienter tolerare, quæ mutare nequeas. Quid enim in vitâ mortalium frequentius quàm scelera & fraudes etjam inter amicos & socios? Quæ dies Romæ festa adeo religiosissimè & sanctissimè colitur, quâ non fur aliquis in scelere deprehendatur, non alius quispiam perfidus fraudulentus & sceleratus, qui vel tanquam latro & sicarius gladio, vel veneficus veneno pixide incluso, alios è medio sustulerit, vel quovis alio crimine sibi lucrum & numos invenerit? Quippe virorum bonorum magna jam est raritas, quorum vix tot numero in urbe Roma inveniuntur, quot Thebæ in Bœotiâ portas, vel Nilus ille dives Ægypti fluvius ostia habet, quibus se in mare exonerat, quæ septem tantum esse perhibentur. Neq; mirum bonorum tantam jam paucitatem esse. Quippe nos homines jam nonâ mundi ætate vivimus, & ultimo adeo sæculo, quod ferreo pejus adhuc est, cujus sæculi impietati & sceleri ipsa natura nullum nomen potuit invenire, & cum reliqua priora sæcula ab auro argento, cupro, electro, ære stanno, plumbo, aut ferro nominata sint, à nullo viliore metallo ulterius potuit nominari. Interim licet hoc adeo scelerato sæculo vivamus, adeo stupidi sumus, ut demiremur, si scelera admitti videamus, & præ indignatione Deorum & hominum fidem invocamus, & tanta quidem voce, quantâ, clientes Fesidij propter sportulam patronum suum solent laudare, cum clientum suorum causas perorat & agit.

Verum heus tu, senior Catulle, qui iterum puer es, & dignus, qui bullam puerorum insigne recipias, tunc ignoras, quantam voluptatem sceleratis adferat, si alienam pecuniam aliqua fraude adquirere possint? Tunc ignoras, quam ridicula videatur tua morum simplicitas, & vitæ integritas, dum à sceleratis exigis ne pejerent, & credant in templis & aris victimarum sanguine rubenti aliquem Deum adesse, qui res hominum curet & inspiciatur. Nempe quo tu more jam homines vivere postulas, eo quondam antiquissimi Itali Saturni sæculo vivebant, cum ille Diademate regis deposito è filio Iove regno pulsus fugeret, & cultrum quo vites præcideret in manus sumeret, cum Iuno admodum virgo adhuc esset, & Iupiter nondum rex, sed privatus adhuc in Idæis antris à matre Rheâ, ne à patre Saturno devoraretur, absconderetur, cum Dij adhuc homines essent, inq; terrâ degerent, necdum in cœlo convivia agitarent, cum Ganymedes filius Trois nondum ab aquilâ in cœlum esset raptus, nec Hebe juventutis Dea Herculis uxor Iovi adhuc crateres ministraret, cũ nondum Vulcanus Deorum faber in mensâ Deorum, qui jam exhausto potu brachia sua, in Liparia fabrili officina fumo & caligine denigrata tergit, & humectat. Cum singuli Dij domi suæ manerent, ibiq; privatim prandierent, necdum tam libidinosi & luxurioſi essent, quales jam sunt, nec dum etiam tam numerosi in cœlum inter sidera essent relati, & Atlanta illum, qui cœlum humeris suis tenet, nondum tanto Deorum onere premerent. cum ex tribus Saturni filijs Neptuno in regni divisione maris

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0294
DFG

maris imperium sorte nondum obtigisset, cum nondum horrendus ille Pluto cum conjuge suâ Proserpinâ in Ætnâ monte ruptâ apud inferos regnaret, cum nondum rota, quâ Ixion volvitur, nondum furiæ ultrices scelerum, nondum Sisyphi saxum, nondum ater ille vultur aut aquila qui Tityos aut Promethei jecur depascitur, aliæve infernales pœnæ essent, sed umbræ apud inferos sine sceleribus hilares & innocentes degerent, nullis judicibus & regibus indigentes. Nimirum non nostro, sed illo, illo inquam sæculo mirabile erat, si quis improbus inveniretur. Illo sæculo tanta juniorum erga seniores reverentia erat, ut pro grandi scelere & capitis supplicio puniendo haberent, si quis junior seniori adsurgendo honorem non exhibuerat, vel si puer idem cuicunq; etjam barbato non præstitisset, quamvis se ditiorem sciret, & domi patris sui majores fragorum & glandium aliorumq; fructuum quibus tum temporis victitabant, & divitiæ censebantur, acervos repositos videret. Nempe illo ævo tam venerabile habebatur, si quis tantum quatuor annis alterum præcederet, & primâ barbæ lanugine, quæ primum ad sacram & venerabilem senectutem initium est, ornaretur. Illo inquam sæculo improbitas fait admirabilis. At contra nostro ævo probitas est admirabilis. Si quis enim jam etjam amicus inveniatur, qui amico fidelis & justus sit, & pecuniam apud se depositam non inficietur, sed veterem pecuniæ bulgam, cum universa pecunia, quæ longo tempore æruginem apud se contraxerit bona fide restituat; Illa fides monstro & prodigio similis, digna

est, quæ ab aruspicibus tanquam prodigium expietur, & agna in sacrificium oblatâ & coronatâ lustretur. Nam si jam, Romæ præsertim, virum quendam egregium & sanctum inveniam, illum merito comparem cum rarissimo aliquo prodigio, ut si puer nascatur bimembris semibos aut semiequus, aut si admirabili aliquo portento pisces inter arandum sub aratro in terrâ invententur, aut si mula aliqua fœta pullum quendam generaret. Et cujus viri novitate attonitus non minus obstupescam, quam si lapides per imbrem è cœlo decidant, vel si in summitate templi examen apum in modum longæ uvæ dependens consederit, atq; deniq; si amnis quisquam in mare torrentis in morem defluat admirandis fluctibus sanguineis, atris, vel etjam lacteis. Quid igitur conquereris tu, Calvine decem illa Sestercia apud amicum depositta perjurâ fraude tibi intercepta esse? Quasi vero talia nova sint. Quasi vero non alij inveniantur, qui vicies plus, bis centum sestertia eodem modo secreto apud fraudulentum amicum deposita perdiderint. Quasi deniq; desit tertius quisquam qui eodem scelere tantum nummorum perdidit, quantum amplissimæ arcæ capacitas vix capere poterat. Quid autem usitatius Romæ quam perjurijs & fraudibus, quibus etjam Deorum testimonia prætexunt, opes acquirere. Deos enim sceleram nostrorum conscios facile contemnimus, dummodo hominum nemo eadem sciat. Aspice enim quam magna & severa

voce

voce perjurus se pecuniam à te accepisse neget, quanta constantia vultum simulatum & fictum retineat, & nullo modo immutet, quàm audacter verò pejeret! Nempe jurat per omnia videntes Solis radios, per Capitolini Iovis fulmina, per Martis hastam, per sagittas Apollinis, per calamos, pharetram, & arcam Dianæ venatricis, per tridentem Neptuni patris Ægei. Hisce etjam sagittas Herculis & Minervæ hastam addit, & si quid præterea telorum & armorum in armamentario cæli est repositum. Si vero etjam liberos habeat, si mentior, inquit, comedam partem aliquam capitis filij mei cocti & bulliti, & acri aceto Ægyptio madentis. Quod si horum scelerum caussam quæras, impietatem invenias. Non enim jam desunt homines, qui credant omnia in mundo fortuna & casu temerè volvi, & nullo rectore mundum regi & gubernari, tanquam natura quasi bruta & irrationalis omnium rerum caussa vicissitudinem ortus & interitus, quatuor anni partium, diei & noctis volvant & producant, atq; ita nullo deorum metu, quos non credunt, pejerant, & ad quævis altaria juraturi intrepidè accedunt. Aliud hominum genus invenitur, qui metuunt quidem, Deumq; esse credunt & pœnam secuturam reformidant, & tamen peierant, & ita secum constituunt: Quidquid etiam Isis, & reliqui Dij corporibus morbos immittentes de meo corpore decernant, sive etiam sistro senoro illo instrumento meos oculos feriant, meq; cæcum reddant, nihil moror, nihil curo,

dummodo vel cæcus illos numos retinere posſim, quos pejerando abnego. Tantine æſtimandi ſunt morbi, quos Iſis & Harpocrates immittunt, phthiſis, putrida & maligna hulcera, & mutilationes membrorum, ut illorum formidine lucrum & opes per fraudes & perjuria occupare non præoptes? Satius profectò eſt ægrotare cum divitijs, quàm ſanum & pauperem eſſe. Certè nobiliſsimus ille in Olympico certamine curſor Ladas pauper & inops non dubitaverit podagram optare cum magnis divitijs conjunctam, dummodo morbus ille ſit tolerabilis, nec ægrotum prorſus furioſum & inſanum reddat, ut elleboro in Anticyrâ proveniente à nobili medico Archigene præparato, quo Melancholiam purget, opus habeat. Quid enim prodeſt Piſæ in Elide, ubi curſores certamen Olympicum ineunt, currendo alios vincere, & coronâ ex olivâ, coronari, & interim rebus neceſſarijs indigere, & eſurire? Adeoq; ut vel maximè Deorum ira magna & atrox eſſe perhibeatur, tamen certè lenta & tarda eſt. Si igitur Dij hoc unicè agunt ut omnes ſceleratos puniant, cum multi ſint puniendi, tardè circuitum abſolvent, & tardè admodum ad me venient. Quin etjam fieri poteſt, ut Deos exorabiles, meisq; ſceleribus veniam indulgentes inveniam. Quibusdam enim hominibus improbis ſolent ignoſcere. Sæpè enim ijdem homines, eadem crimina & ſcelera committunt, ſed diverſo fato, eventu, & ſucceſſu. Nam improborum unus ob ſcelus ſuum crucem pœnæ loco invenit, alter verò regnum & Diadema regium precij loco reportat. His & conſimilibus conſolationi-

tionibus animum suum, infandæ culpæ, quam pœna à tergo subsequi solet, metu formidantem & trementem indurant & confirmant. Postea ubi scelere commisso; vel deposito denegato, ad aram procedere jubentur, ut ibi jurent, seq; ab intentato crimine purgent, incredibili confidentiâ & pervicaciâ accusatores suos præcedunt, imò illos tardius euntes ultrò trahere, impellere, vexare, & ludibrio habere non erubescunt. Etenim sæpe ubi magna & pertinax audacia cum malo facinore culpâ & scelere conjuncta est, illa à multis bonæ conscientiæ indicium, & innocentiæ signum esse creditur. Imò inveniuntur homines perjuri, qui cum accusantur, imitantur talem Mimum, qualis fugitivus ille scurra ab Vrbano Catullo Mimographo introducitur, qui incredibili petulantiâ dominum suum accusatorem in jus trahebat. Tu interim, quando ab homine scelerato tam misere vexaris, præ indignatione Deûm & hominum fidem inclamas, & tanta quidem voce, ut Stentora, qui tantum clamavit, quantum 50. alij, vel potius Martem illum apud Homerum qui à Pallade vel Diomede vulneratus tantum clamabat, quantum 10000. virorum, vincere & superare posse videaris, & inquis: O Iupiter: audis hæc, & hæc non alloqueris, non increpas? Certe tua statua ex marmore vel ære in indignationis signum aliquam vocem ædere deberet. Quod si talia perjuria & scelera punire non vis, quorsum attinet nos tibi sacrificare? & involucro chartaceo soluto Dijs consecrata thura ignitis thuriboli carbonibus imponere, & pinguia vitulorum

& porcorum inteſtina jecur & omenta diſſecta in tuâ arâ tibi in ſacrificium offerre ? Certè, quantum video, nullum diſcrimen eſt, inter veſtras Deorum effigies, & ſtatuam Vagellij hominis ſtolidiſſimi. Hiſce, & conſimilibus homines injuriâ à ſceleratis adfecti, contra Deos ſolent inſurgere, tanquam rerum humanarum nullam curam habeant. At vero jam accipe & conſidera, quæ ſolatia & contra dolorem remidia, contra hæc & ſimilia ſibi comparare poſſit etiam homo indoctus & rudis, qui nullis Philoſophiæ præceptis imbutus eſt, qui nulla Cynicorum, Anteſthenis, Diogenis, Cratetis & aliorum, nulla Stoicorũ dogmata, (qui eo tantum à Cynicis differunt, quod hi duplex pallium, illi tantum ſimplex geſtant) legit & evolvit; qui etjam Epicuri in voluptate ſummum bonum ponentis præcepta vitæ humanæ, & continentiam non admiratur, qui parvo horto & oleribus ad famem ſedandam contentus vixit. Vt verò ægroti, qui periculoſo & lethali morbo correpti ſunt, magnis & præſtantibus medicis opus habent; alij verò levi aliquâ febriculâ aut alio morbo facile curabili detenti, etjam à rudium medicorum, qualis eſt Philippi ille diſcipulus medelam accipere & curari poſſunt. Ita etjam illi, qui immenſa damna perpeſſi ſunt, adeant animorum medicos magnos Philoſophos. Tu verò cum leve aliquod damnum tantum patiaris, etjam à rudi & indocto conſolationem accipere potes, & nihil opus habes Sapientiæ præceptis in hoc

tuo do-

tuo dolore curari. Iam ante dixi, quod consimilia & graviora damna alij perpessi sint. Quod si ostenderes inter mortales nullum tam enorme & detestabile factum, quale tibi contigit, alij accidisse, tunc te consolari desinerem, & te dolere, inq; doloris signum pugnis pectus percutere & aperta manu faciem contundere & cædere non prohibebo. Siquidem facere non potes quin doleas, & in luctus signum januam & fenestras claudas, præsertim cum damnum passus sis, nummosq; perdideris. Ferè enim fit ut longè majori totius familiæ strepitu tumultu planctu gemitu & ululatu defleantur nummi deperditi, quam si amicorum quispiam mortuus sit. Nam in hoc casu pecuniæ amissionis nemo dolorem fingit & simulat, quemadmodum in funere plerumq; fieri consuevit, ubi vestium extremitates simulato dolore solent diducere & dilacerare & falsis lacrymis per vim extortis & coactis oculos solent vexare. Sed si pecunia amissa sit illa non fictis & falsis sed veris lacrumis deploratur. Iam vero non tu unus & solus talia pateris cum Romæ omne forum, plateæ familiæ & domus hujusmodi querelis de dolis & fraudibus hominum plena sint. Quid enim? Inventas exempla ut instrumenta obligatoria sæpe à decem diversis testibus lecta & obsignata sint, & tamen falsi fraudulenti & perjuri homines inveniantur qui suas obligationes & chirographa tabellæ ligneæ ceratæ

vana

vana mendacia & irrita esse dicant, & sua esse negent, quos tamen mendacij & perjurij arguunt characteres literæ proprijs manibus exaratæ, & sigillum Sardonichegemmâ pretiosissimâ, quæ capsulis loculisq; ex ebore factis custoditur, ipsi obligationi impressum. Quod cum ita sit, quis furor est, quod te tam mollem & delicatum geras, & illa quæ communia sunt, cum plurimis alijs tanquam homo singularis, nolis perferre. Quasi vero tu non homo vulgaris sis, sed albæ gallinæ filius, nos vero reliqui, homunculi simus viles pulli ex infelicibus ovisnati, qui jure communem hominum sortem ferre & pati cogamur. Jam supra tibi exposui quod damnum illud tuum tantum mediocre sit & mediocri etjam indignatione sit perferendum, nec tantum, propter quod animum prorsus debeas abijcere. Age enim flecte oculos tuos ad majora crimina & scelera quotidie obvia & confer tuum damnum cum immenso crimine quo quis latro conductus alij non nummos sed vitam aufert; cum conducti incendiarij sulphur & aliam materiam accendi facilem dolosè ad domus januam apponunt (quæ prima omnium ardere incipit) & universa bona incendio absumunt. Confer etjam cum tuo damno sacrilegorum scelera, qui vetustissima Deorum delubra spoliant & ex illis grandia pocula venerandæ antiquitatis, quâ æruginem jam contraxerunt, auferunt, & donaria, quæ à totis populis Deorum templis dicata sint vel coronas à prisco aliquo rege positas. Quod si ibi in templis tam magna donaria quæ spolient non inveniantur, saltem minor sacrilegus erit qui tamen

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0302
DFG

men ne omnino vacuus è templo egrediatur aliquid de fœmore auratæ statuæ Herculis, vel aurata facie Neptuni partem aliquam unguibus avellat, vel de Castoris statuâ aliquam laminam vel bracteolam abradat. An vero dubitabit minor sacrilegus esse qui maximus esse consuevit & universam Iovis statuam furto ablatam conflare & igni liquescere solitus est? Confer deniq; tuum illud damnum, cum illis, qui venena vendunt & emunt, & illa in hominum perniciem artificiosè præparant, ut non bona alterius auferant, sed vitam tollant: Confer etjam parricidia perpetrantes, qui culeo è bovis corio insuti in mare abijci solent, cum quibus malo & adverso fato & infortunio innocens simia, gallus, canis, & serpens unà includi & puniri solent. Nonnè hæc longe atrociora sunt facinora, longè graviora damna, quæ alij perpessi sunt. Et tamen his, quæ enumeravi longè adhuc graviora sunt. Nam illa tantum minima pars sunt illorum scelerum, quæ Rutilius Gallicus urbis Romanæ custos, secundus à Domitiano, qui in foro jura reddit, & nocentum causas cognoscit, quotidiè à summo mane ad vesperam usq; audire & judicâre cogitur. Nimirum si humani generis mores, scelera & flagitia longè graviora, quam illud, quo tu decem sestertium jacturam fecisti, cognoscere voles, non opus est, te totam urbem inspicere, indeq; exempla petere. Imò una hæc domus Rutilij Gallici tibi sufficit. Tantum in illâ paucos dies commemorare, & scelera hominum, quæ ibi judicantur audi, & si potes, ubi inde redieris te miserum pronuncia. Non poteris autem,

quia

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0303
DFG

quia ibi longè atrociora scelera, longè graviora damna alios perpetrasse & perpessos esse audies. Quid autem absurdius, te hominum scelera demirari Romæ, ubi sceleribus hominum nihil est frequentius? Prorsus, ac si quis in Alpibus in provinciâ Valesiorum & Servorum homines tumidum guttur habentes velit demirari, ubi tales fere sunt omnes: vel si quis in Meroê insulâ & urbe in Æthiopiâ demiretur feminas, quæ infantibus pares, vel etjam majores mamillos habent, quibus nihil ibi frequentius: Vel si quis in Germanis glaucos cæruleos oculos, russam & flavam cæsariem, eamq; capillo crispante & madido instar cornu in capite intortam cum stupore admiretur. Cum Germani omnes tales sint. Nimirum nemo illa ibi demiratur, cum omnibus natura una sit: Sic etjam nos Romæ scelera perpetrari, admirari non deberemus, cum Romanis jam naturale esse ceperit sceleratis esse. Sic etjam cum in Indiâ volucres Thraciæ fluvij Strymonis grues ex improviso cum ingenti sonitu instar nubis subito apparent, milites Pygmæi, qui ternas spithamas in longitudine non excedunt, & cum gruibus bella gerunt, in parvulis armis accurrunt, Mox à gruibus hostibus victi & superati curvis unguibus ab infestâ & hostili grue ablati, in sublime per aëra rapti auferuntur. Tale spectaculum si in nostris gentibus Romæ videres, spectaculi ridiculi novitate & insolentiâ risu toto corpore concutereris. Ceterum ibi, in extremâ parte montium Indiæ, licet eadem præliorum spectacula quotidie conspiciantur,

ciantur, nemo tamen videt, ubi tota Pygmæorum turba & multitudo uno pede altior non est. Sic etiam alij homines, apud quos sanctè vivitur, meritò nostra scelera demirarentur. Verum nos Romani, apud quos talia quotidie conspiciuntur, talia admirari non debemus. Verum tu nihilominis irâ indignatione, & vindictæ cupiditate plenus objicies mihi: Itane verò sceleratus ille impune evadet, & prorsus nulla perjuri capitis, & sceleratæ fraudis pœna erit? Mi Calvine, tu verò tibi certò persuadeas & statuas ipsum à tranquillitate animi & pace conscientiæ statim post admissum scelus graviore catenâ protinus abreptum, & scelerum furijs excarnificatum, & tuo hostis sui arbitrio miserrime cruciari & necari. Quid autem amplius ira & vindicta nostra postulare possit? Veruntamen, denuo objicies, Calvine, meum damnum & jactura decem Sestertium mihi manet & non resarcitur, & depositum meum, nunquam mihi integrum & salvum erit, nunquam mihi restituetur. Vindicta autem, quæ in oculos non incurrit, vana & irrita est. Quod si viderem ipsius perjuri corpus truncari, ejusq; truncati corporis vel minimum sanguinem cernerem, illud solatium mihi foret adeo amplissimum, ut merito illud quisquam lividus mihi invidere possit. Certè vindicta de hostibus improbis, quæ in corpus exercetur, inq; oculos incurrit, ipsâ vitâ est jucundior & dulcior.

Nempe ho-

Nempe homines imperiti & imbecillis animi vindictæ cupidi sunt; quorum cor sæpe propter rem levissimam & nullam causam videas irâ flagrare & incandescere: quibusq; adeo etjam levissima irascendi causa & occasio oblata ad iram & indignationem animo concipiendam sufficit. Verum sapientes & docti cordatiq; viri non ita sentiunt. Certè Chrysippus Stoicus Zenonis & Cleanthis discipulis, Stoicorum doctissimus, mitissimi ingenij vir idem non dicet; nec placidus ille Thaletis animus, non facile ad iram commovendus; nec senex ille Atticæ monti Hymetto optimo melle abundanti vicinus Atheniensis Socrates, qui tam mitis ingenij fuit ut cum injustè accusatus cicutam in sævo carcere bibere juberetur; Si Anyto & Melito reliquisq; accusatoribus improbis aliquam cicutæ partem offerre potuisset, & ita ab adversarijs injustis pœnas sumere, eosq; ulcisci, noluisset hoc facere. Certè vitæ humanæ rectrix Sapientia felices & beatos suos possessores reddens, & prima omnium recta & salutaria docens, paulatim errores, adfectus, & perturbationes, & hinc exorta vitia animis hominum eximit, ut horum Philosophorum exemplo videre est. Nimirum ultio & vindictæ cupiditas minuti, pusilli, & infirmi animi voluptas est, contra alti & sublimis animi injurias & contumelias contemnere. Idq; verum esse hinc continuo colligere poteris, quod nemo inter homines vindictâ & ultione magis gaudet quàm minuti & infirmi animi femina, quod Proenes. Medeæ, Sthenobææ, Phædræ aliarumq; exemplis demonstrare promtum erat. Interim non est,

quod

quod impune illos evasisse putes, quos mens viri sceleris perpetrati conscia pœnæ formidine anxios & perturbatos habet, & tacito atq; latenti conscientiæ stimulo & verbere pungit atq; pulsat. cum nimirum conscientia & animus tortor intus in præcordijs occultum & latens flagrum quatit, & sceleratum de mente & ratione deturbat. Pœna autem illa, quam conscientia sceleratis imponit gravis & intolerabilis est, & longe gravior, quam illæ, quas severus ille judex Cæditius apud Vitellium invenit, qui semper gravioribus supplicijs delectabatur, & Rhadamanthus ille inferorum judex sceleratis imponit, ut patiantur illa quæ perpetrarant. Cum nimirum sceleratus nocte & die suum testem malam conscientiam in pectore secum gestat. Quid? quod non solum sceleratum factum, sed ne voluntas quidem malè faciendi cuiquam impunita sit. De Spartano quodam Glauco memorant, quod ipsi oraculum consulenti Sacerdos apud Delphos responderit: Malam illam voluntatem suam sibi non impunitam fore; quod depositum à Milesio amico acceptum ejusdem filijs repetentibus dubitaret retinere, dubitaret etjam reddere, cum negaret se quidquam accepisse, sed tamen melius se consideraturum affirmabat; quodq; meditaretur fraudem illam suam jurejurando tueri & defendere. Explorabat enim quæ mens & sententia esset numinis, & ecquid Apollo hoc sceleratum facinus ipsi etjam suadere vellet. Cui respondit Apollo, pœnas se daturum cum universâ familiâ, quod tantum depositum negare voluisset, & insuper numen Oraculi

tentasset. Quare depositum statim reddidit non quidem honestis moribus, & virtutis amore compulsus, sed pœnarum metu & formidine, Et licet reddiderit, tamen totam Oraculi vocem Deorum templo scelera aversantium dignam, & veram fuisse exemplo suo memorabili comprobavit, postquam cum totâ domo, universâ & progenie, ex omnibus propinquis extinctus est, quãvis illi longâ generis serie deducti & propagati essent. Nimirum hasce pœnas etiam sola peccandi voluntas perpessa est. Nam voluntas pro factò habetur, & quicunq; intra se in suo animo tacitum aliquod scelus molitur & meditatur, ille æquè magnum crimen in se admisit, atq; si ipsum factum in se admisisset. Age verò, si voluntas tanto opere punitur, quanto magis punietur ille, qui illa, quæ animo meditatus est peregit, & in opus produxit? Quid autem dicam, de incredibili hominum sceleratorum miseria? nimirum quos pavor anxietas & continua & perpetua comitatur, quæ ne mensæ quidem tempore inter epulandum, cum genio indulgendum est, cessat, quibus nimio pœnarum metu fauces, ut in ardenti febri, semper siccæ & aridæ sunt, quibus cibus, quem cum maximâ difficultate vix deglutiunt, inter molares dentes crescit. Quin etiam talis miserius vina etiam optima respuit, cum nihil ipsi dulce sit, conscientiâ fraudum omnia contaminante. Albana vina vetustissima & optima ipsi displicent: quod si melius vinum ipsi exhibeas, tunc nauseabundus densissimas rugas in fronte contrahit, non secus ac si ace-

si acetum Falernum bibisset. Nocturno tempore si forte anxietas & sollicitudo malæ conscientiæ aliquantulum quiescens, brevem soporem ipsi indulsit, & membra, quæ toto thoro, corpore ex uno latere in aliud conjecto, jactata sunt, pauxillùm jam requiescunt: Ibi continuo dormienti in somnis occurrit templum & ara Deorum, in quo Deorum numen in falsum testimonium vocans violavit, &, quod præcipuè ex scelerum conscientiâ perturbatæ menti sudorem excutit, te Calvinum, quem fefellit in somnis vidit: Tua imago tanquam alicujus Deæ majoris homine, & tanquam alicujus furiæ infernalis facies pavidum & anxium perturbat, seq; summum scelus admisisse, summâ pœnâ dignum esse ultrò fateri cogit. Nimirum hi nefarij & scelerati sun, tquorum conscientia nanquam quiescit, qui semper anxij & pavidi trepidant, qui quoties fulgur vident, toties expallescunt, quoties tonat, exanimes concidunt, et jam quàm primum cœlum leviter tantum murmurare incipit. Non quasi cælestis ignis fortuito casu, aut ventorum violenter inter se confligentium concitatione & tumultu exortus in terras decidat, sed ut sceleribus hominum iratus, scelera vindicet, & supplicium de nefarijs sumat Quod si prior tempestas nihil nocuit, tunc graviore anxietate proximam tempestatem formidant, tanquam illa ultrix tempestas hoc die in proximè sequentem tempestatem dilata sit. Præterea si in acutum aliquem morbum, qualis est

Pleuritis cum febri conjuncta, quæ ægrotum dormire non sinit, incidant: Ibi illum morbum ab irato sceleribus numine sibi immissum credunt, & hosce morbos Deorum saxa & tela, quibus fontes supplicio afficiant, esse censent. Et quod omnium miserrimum est, de Dei misericordiâ desperant. Talis enim scelerati non audent Dijs vota facere, & pro sanitate restituenda Dijs agnam promittere, vel Dijs domesticis cristam galli polliceri. Quid enim spei relinqui potest hominibus sceleratis, si ægritudine aut morbo aliquo corripiantur? Quæ etjam hostia tam vilis est, quæ pro sceleratorum vitâ mactari debeat? Adde, quod nulla constantia firma & stabilis sit in talibus sceleratis. Ante scelus perpetratum, & cum scelus admittunt, tum constantia in illis superest, pertinacia abundat, inq; illa imperterriti & magnanimi confirmantur. Verum peracto scelere demum reputare apud se incipiunt, quid fas atq; nefas sit, quantumq; sceleris in se admiserint. Quamvis autem sentiant & sciant se malefacere, & perpetrantem scelera conscientiam statim peccato admisso remordere & excarnificare, tamen ad consuetos damnatos, & vitiosos mores natura jam habitu vitiorum contracto corrupta recurrit, & peccata identidem crebrò repetit, nempe in sceleribus suis fixa, constans, & perseverans, & immutabilis permanens. Nam quis unquam inventus est, qui ubi semel peccare incepit, in peccando finem & modum sibi posuerit, cum malum & peccatum infinitum sit? Et quando unquam

unquam aliquis pudorem & verecundiam recepit, cum illam semel de attritâ & perfrictâ fronte abjecit, & gnaviter impudens esse cæpit? Quis denique unquam hominum inventus, qui ubi semel peccare incepit, uno peccato admisso contentus sit, & non idem peccatum sæpius & frequentius repetere studeat. Nimirum tuus etjam ille perfidus & perjurus, idem perjurium, quo depositum tibi denegavit, frequentius in alijs repetet, & tandem aliquando suos pedes in vincula dabit, inq; tenebricoso carcere unco ferreo constringetur, aut in alicujus insulæ Ægæi maris rupes & scopulos exsulio deportabitur, quo magni & nobilißimi viri frequenter perpetrato scelere mitti consueverunt. Ibi verò demum hominis scelerati, tibiq; invisi crudeli & horrendâ pœnâ delectaberis, tandemq; hoc læto spectaculo hilaris ultro fateberis: Deum nec surdum esse, qui illos, qui de hominum sceleribus conqueruntur audire non possit, neq;, ut Tiresias vates, à Iunone excæcatus, cæcum esse, qui res hominum introspicere nequeat, sed eò, lento gradu ad vindictam procedere, ut tarditatem pœnæ, supplicij gravitate compenset.

In Satyram XIIII.

ECPHRASIS.

PERmulta flagitia & facinora sunt, mi Fuscine, quæ malam & sinistram famam promerentur, rebusq; bonis & candidis aliquam turpitudinis maculam adspergunt, & rugam labemq; adsigunt, quæ ipsi parentes suis exemplis, pueris ex se natis monstrant & tradunt. Si enim parens quisquam damnosâ & bonis legibus vetitâ aleâ delectetur, ibi filius, licet parvulus admodum adhuc, & bullam puerorum insigne adhuc gestet, eadem ludendi arma & instrumenta talos & tessaras, parvo alveolo, in quem tesseræ conijciuntur, movet & exercet, Porro proximi agnati & propinqui de aliquo juvene sperare nunquam poterunt, quod patre suo melior futurus sit, qui luxuriam & gulam, quiq; terræ tubera ad appetitum excitandum devorare, boletum delicatißimè condire, & in eodem boleti jure copioso innatantes ficedulas precioßas aves immergere à patre lurcone didicit, gulâ parentis jam canis obßita delitias illi puero demonstrante. Cui ubi septimus ætatis annus transiit, nec dum omnes dentes renati sint; ubi inter

tales

tales delicias educatus fuerit, licet postea vel mille barbatos magistros ab una parte ipsi admoveas, ab alterâ parte totidem; nihilominus splendido & sumtuoso apparatu, ut in mensâ patris didicit, cœnare, & à patris sumtuosa culinâ, cui adsuevit, non degenerare cupiet, & ad temperantiorem victus rationem descendere, nolet. Age autem Rutilus ille, qui potius carnifex & latro domus & familiæ suæ ob sævitiam heri sui trepidantis & trementis, & Antiphates aut Polyphemus quispiam truculentissimus, censendus est, quam dominus & pater familias: Nunquid ille liberos ex se genitos docet clementiam & humanitatem, quæ errori iracundiæ modicè tantum indulget, nec in sævitiam erumpit? Nunquid etjam ipse Rutilus mitis & clementis animi est, & concedit animos & corpora servorum & dominorum ex communi materiâ, & pari elementorum commixtione constare? An verò potius filios suos sævitiam & crudelitatem docet, quando horribilibus pœnis delectatur, & plagarum strepitum longè dulciorem esse censet, quam ullum Seirenum cantum? Nimirum qui tum demum sibi felix videtur, quoties vocato carnifice servo cuipiam ardenti ferro stigma inuritur, propter duo linte, quæ furto in balneo abstulit. Age verò Rutilus hic, quidnam suadet ille filio vel puero suo aliud præter crudelitatem, quando lætatur, cum audit servos catenis vinctos stridorem edere, cum videt illos in Ergastulo vinctos,

vel ruri catenâ vinctos ad glebam invertendam destinatos, quibus notæ stigmatis tanquam litteræ, candenti ferro inscriptæ sunt. Sic matres filiabus suis scortationis & adulterij occasiones suo exemplo suppeditant. Quid verò arbitraris nobilissimæ illius mœchæ Largæ filiam adulteram non fore, cujus mater tot mœchos habet, ut filia illorum mœchorum nomina non recitare possit tam cito, tamq; veloci cursu, quin ter decies respirare, & spiritum ducere cogatur? Quippe illa virgo olim, jam adultera, adulteriorum matris conscia fuit, & quod matris exemplo corrupta sit mirum non est. Adeoq; ille jam junior adultera dictante matre pusillas tabulas amatorias ad mœchos scribit, & ijsdem Cinædis impurisq; spadonibus, quibus olim mater usa est, internuncijs perferendas tradit. Sic enim naturâ comparatum est, ut longè citius & celerius domestica parentum exempla nos corrumpant, utiq; quando sese magnis auctoribus, quos potissimum imitamur, & cum primis observamus quotidie, quales sunt ipsi parentes, sese animis puerorum insinuant. Sed obijci poterat, quod non omnes æquè malis exemplis corrumpantur. Equidem fieri forte potest, ut unus & alter juvenum hisce turpibus parentum suorum exemplis nihil commoveantur, qui non nisi DEI providentiâ ad virtutem informati sunt, & quorum pectora Prometheus ille, qui primus hominem ex terra finxit, benignâ arte, & singulari gratiâ non è vulgari, sed ex meliori luto efformavit. Verum reliqui sceleratis parentum suorum vestigijs insistunt, & spa-

& spacioſa & ampla via veteris & conſuetæ parentum culpæ diu filijs à parentibus monſtrata reliquos transverſum rapit & abducit. Quocirca etjam atq; etjam à ſceleribus & flagitijs hiſce damnandis te abſtineas. Idq; potißimum ob hanc cauſam & rationem, ne illi qui ex te geniti ſunt ſcelera tua imitentur. Nam ad mala prava, & turpia imitanda omnes faciles & proclives ſumus: Et Catilinam, Clodium, vel alios homines ſceleratos facile omni loco, omni tempore invenias: Verum tales, qualis Brutus fuit patriæ liberator, ejusq; avunculus Cato Vticenſis vir ſanctißimo, vix uſpiam inveniuntur. Vbicunq; igitur pueri ſunt, ibi ab omnibus fædis dictis & factis eſt abſtinendum, ab hoc loco procul amovendæ ſunt puellæ lenonum meretrices, & cantus ſcurrarum & nebulonum, qui totam noctem commiſſando conſumentes turpia & obſcæna canunt. Profecto pueris maxima reverentia debetur, ſi quid turpe perpetrare in animo habes. Neq; annos pueri neglexeris & contemſeris, quaſi puer admodum parvulus illa turpia nondum intelligat, ſed vel infans unius anni peccaturo tibi obſtare debet. Quid? quod tales patres filios ſuos peccantes non poſſint reprehendere. Age enim, ſi quid filius tuus admittat, ob quod à Cenſore puniri & damnari mereatur, (quandoquidem fieri nequeat, quin peccet filius tuus, qui non ſolum corpore & vultu tibi patri ſimilis erit, ſed etjam tuorum morum filius erit, & non ſolum tua veſtigia ſtrenue ingredietur, ſed etjam illa excedet, & te peccando ſuperabit) ibi nimirum filium tuum corripies & vehe-

hementer pro auctoritate paterna objurgabis. Imò vero etiam testamenti tabulas te mutaturum, filiumq; exheredaturum interminaberis. Quo ore & fronte illam parentum libertatem & auctoritatem tibi usurpare poteris: cum tu pater senior longè turpiora & pejora committas, jamq; dudum insanus sis, tuumq; caput cerebro vacuum opus habeat jamdudum, cui à medico per cucurbitam sanguis ad insaniam evacuandam, educatur? Quanta vero nostra est dementia, qui omnia quæ possidemus potiora habemus nostris liberis! Cum tibi hospes aliquis venturus est, ibi nemo tuorum servorum otiosus erit. Vni imperas, ut aream domus scopis verrat, ut ex columnis fumum & pulverem detergeat, ut emortuas araneas cum omni sua telâ è fenestris & domus angulis expurget, alteri ut vasa argentea lævia abluat, tertio ut vasa argentea in asperitatem cælata & sculpta abstergeat. Hæc & similia famulis tuis cum fremitu imperas, virgã tenens, quâ cessatores pulses & percutias. Sollicitè ergò times & caves, ne atria domus tuæ canino stercore, ne porticus luto cæno & sordibus immunda advenienti tuo amico displiceat & nauseam moveat. Cum tamen hæc res sit levissima, & quam vel unus servulus dimidio scobis vel ramentorum à serrâ decidentium abscondere & emendare possit. Interim hoc non agis, & sollicite atq; curiosè curas, quod longè omnium maximum est, ut illam tuam adeo sanctam, mundam, puram, vitioq; carentem domum filius etiam purus & integer sine labe intueri & inhabitare possit. Vtile nimirum & laudabile

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0316
DFG

bile cum primis est, quod patriã & populum Romanum uno cive auxeris, si eum accuratò institui curas & studes, ut patriæ suæ sit idoneus, ut agriculturæ, quæ maximè vitæ humanæ necessaria pars, & in pace in bello, in otio in negotio patriæ suæ utilis sit: In quo ipso prima institutio plurimũ momenti obtinet. Plurimum enim interest, quibus artibus, institutis, moribus tu ipsum à prima pueritia instituas & imbuas. Documento potest esse ciconia, quæ pullos suos serpentibus ac lacertis in devijs atq; desertis locis inventis nutrit. Pulli vero simul atq; adoleverunt & pennas ipsi sumserunt, eadem animalia serpentes, lacertas, ranas, anguillas in cibum sibi conquirunt. Vultur avis illa rapax mortuo cadavere jumenti, aut cani, vel etjam hominis in cruce suspensi relicto ad pullos suos in nido relictos contendit, illisq; partem quampiam cadaveris in cibum adfert. Hoc ergo cibo etjam magnus vultur, non pullus amplius, se sustentat, quando jam se ipsum ipse pascit, & proprium nidum jam in arbore aliquâ sibi componit. Sic etjam generosæ aves, Iovis famulæ aquilæ leporem, capream, aut aliam quampiam feram in saltu venantur, prædam captam in nido pullis suis comedendam apponunt. Mox cum pulli maturi, & ad volandum venandumq; apti, stimulanti fame ex nido volanlando in altum sese elevant, ibi ad lepores, capreas, aliasq; minores feras contendunt, quas gustarunt, quam primum rupto ovo in lucem excluſi sunt.

Sic

Sic Centronius quispiam domibus ædificandis delectabatur, & mox in Campaniæ portu Cajeta in sinu Bajano, modo in summitate montis & arcis Tiburis, modo etjam in montibus Prænestinis alta villarum culmina exstruebat marmore Græco, & ex alijs longinquis regionibus petito, idq; tanto splendore & magnificentiâ, ut etiam notissima illa Fortunæ & Herculis templa superaret, Quemadmodum Posides spado Claudij ille libertus splendidissimis suis ædificijs pænè Capitolium superavit. Dum ergo Centronius ita agit, tnq; diversis locis ædificat & habitat, divitias suas, quantumvis amplissimas valide attrivit: Satis tamen magna adhuc pars priorum divitiarum ipsi reliqua erat. Hanc totam à patre derelictam partem filius amens & stolidus dissipavit & absumsit, dum non contentus paternis ædificijs novas villas marmoreas in sublime exstruit. Quidam liberi patrem habent Iudaicâ Religione imbutum; & Sabbatha religiosè colentem, qui & ipsi patris exemplum secuti, nullum simulacrum adorant, & quando orant faciem ad nubes obvertunt, & à suillâ carne tam sollicitè & religiosè abstinent, ut inter carnem humanam & suillam, nihil interesse arbitrentur, à qua carne pater curiosè abstinuit. Mox ubi in superstitione illa confirmati sunt, præputia deponunt & circumciduntur: Et Romanas duodecim tabularum leges contemnentes, Iudaicum jus legunt, ediscunt, metuunt, & servant, quod arcano suo volumine antiquissimus ille Legislatorum Moses Iudaico populo tradidit. His adde, quod nullis, nisi suæ religion;

ligioni addictis ullum officium velint præstare, nulli nisi eadem sacra colenti viam velint demonstrare, nulli viatori sitienti fontem quæsitum ostendere, nisi circumcisus Apella sit. Quod autem filij alienâ Iudaicâ religione imbuantur, pater in causa est, quæ septimo quoq; die ab omni opere feriatus est, nullumq; vitæ munus obijt. Porro cætera prædicta vitia omnia exemplo parentum sponte suâ & ultro imitantur filij, Vnam & solam avaritiam inviti & reluctantes, suæ ætati prorsus contrarium vitium, exercere jubentur. Hoc enim avaritiæ vitium ipsos parentes specie & umbrâ virtutis fallit, utpote cum plerique avari habitu tristes & austeri sint, vultu autem & veste severi & graves appareant, & quantivis precij frugi & diligentes videantur. Nam plerique avarum frugi & diligentem laudare nihil dubitant, qui suis rebus sapienter parcat, easq; tueatur & custodiat, idq; diligentius & intentius, quam si easdem opes pervigil ille Draco Hesperidum poma conservans, vel alter Draco pervigil qui in Ponto aureum vellus observabat, custodiret. His adde quod populus hunc avarum de quo loquor, virum egregium arbitretur, & venerandum atq; honorandum opum accumulandarum artificem, quippe per tales artifices & fabros census & divitiæ crescunt. Sed crescunt, quocunq; modo per fas & nefas, justè & injustè, & majores fiunt, dum super assiduâ incude, camino semper ardente numos fabricant, & avaritia semper stimulante numos corradunt. Hinc nimirum pater filios suos animi feli-

ces, &

ces, & fortunatos arbitratur, qui opes admirantur, qui censent pauperes esse infelicissimos, nullumq; in mundo exemplum exstare arbitrantur alicujus pauperis & beati. Inde filios suos exhortantur, ut illam avaritiæ viam, quam feliciter ingressi sunt strenue pergant, & eidem avaritiæ sectæ incumbant. Operæ autem pretium observare, quo ordine tales Eucliones suos liberos ad avaritiam instituant. Sunt quædam avaritiæ principia & elementa, quibus statim ab initio pater filios suos imbuit, illosq; minimas & jam sordes edisce re cogit. Mox ubi hæc Elementa mediocriter jacta sunt, insatiabile & inexplebile acquirendi votum illos docet, servorum ventres pravâ mensura castigat, demensum illorum defraudans, & ipse interim quoq; esuriens. Neq; enim tantum sibi indulget, ut omnia mucidacærulei panis frusta & fragmenta consumere sustineat. Vtpote qui cibum ex cibis minutatim concisis hesterno die appositum, etjam medio Septembri mense, cum cibus facillime corrumpitur, servare solet, & vilissimos cibos fabam cum siliquis eltxam; cum parte salsi pissis vilissimi lacerti, æstivo tempore facilè putrescentis, vel dimidio siluro pisce jam putrido suo sigillo obsignatam, & sollicitè custoditam in tempora alterius cœnæ differre, & fila sectivi porri, quæ sollicitè enumeravit in promtuariâ cellâ includere solet, Tales nimirum cibos, ad quos, si etjam de ponte mendici invitentur, sese venturos recusarent. Verum cui bono corraduntur hæ opes, per tot tormenta & cruciatus

tus, cum plèriq; inter tot opes inopes vivant. Vtiq; cum manifestissimè hominem insaniæ arguat, vitam in extremâ angustiâ & egestate transigere, ut dives moriares, tuumq; heredem locupletiorem reddas. His accedit aliud omnium gravissimum, quod cum sacculum numis, ad summum usq; plenum habeant, ut ligari amplius non possit, nihilominus tantum in avaris numorum amor & avaritia crescit, quantum ipsa pecunia crevit & augmentum sumsit. Adeoq; quo quis minus divitiarum, & opum possidet, eo etjam minus illarum cupiditate tenetur. Quia ergo habendi cupiditas in te immoderata est, nec una villa rustica inexplebili tuo desiderio satisfacit, plures villas & possessiones tibi coemis Et sicubi agrorum tuorum fines & limites extendere cupis, & vicini tui seges tibi major & melior tuâ videtur, etjam hanc emis, & una cum ipsâ loca arboribus consita, & egregium oliveti montem candidis floribus jam luxuriantem. Cujus agri dominus, si nullo precio induci potest, ut agrum vendat, scelerato dolo nocturno tempore macilentos, & sub aratro & jugo fessos ac famelicos boves & armenta ad segetes nondum maturas mittit. Vnde non prius domum abeunt, quam universi agri seminati fructus & segetes in famelicos ipsisq; segetibus infestos ventres abeant, nihilq; reliquum maneat, non secus ac si ager falcibus succisus esset. Et sanè dictu incredibile est, quam

multi

multi inveniantur, qui tales injurias à vicinis malis & avaris illatas deplorent, & quot agros avari vicini injuria, nunquam aliàs vendendos, venales fecerit. Verùm quàm peßimi sermones paßim de tali avaro sparguntur, & quæ buccina fædæ diffamationis de talibus inflari solet. Verum respondet avarus: Quid mala fama magnopere cuipiam nocet. Certe ego malo mihi siliquam vel integumentum unius lupini vilißimi leguminis, quam in toto pago ab universâ viciniâ laudari & interim pauper esse, in q; parvo agro paucißimum frumentum demetere. At verò tibi diviti nimirum nihil nocere potest, tu scilicet carebis ægritudine & debilitate corporis, tu effugies luctum & curam, & Deo, quia dives es, magis favente posthac diutißimè & felicißimè vives. Siquidem adeo dives factus sis, & unus & solus tantum culti agri possederis, quantum universus populus Romanus, quo Romulus cum Tatio Sabinorum rege imperij socio Romanis imperabat, arare solebat. Paulo post tempora Romuli & & Tatij, cum Romani milites ætate fracti, & militia consumti essent, utpote qui tot bella Punica tolerâssent, & ingentem illum Pyrrhum Epirotarum regem & Chaonum Molossorumq; Epiratarum gentium gladios & arma sustinuissent, pro multis vulneribus in bello acceptis vix bina agri jugera emeritis dabantur. Quæ tamen merces pro sanguine atq; labore jam exigua, tum temporis amplißima visa est, & ipsis meritis tot bellis par & conveniens, illaq; fides patriæ haud profecto ingratæ, non curta aut immunita, sed par & æqua-

lis ju-

lis judicabatur. Nimirum talis exiguus duorum jugerum agellus tum temporis alicui familiæ sufficiebat, patrem familias, & universam familiam in casulâ rusticanâ saturabat, in qua uxor rustica uterum gerens gravida jacebat, & infantes quatuor puerorum more lusitabant: Inter quos unus è servo & ancillâ natus vernula, reliqui tres heriles filij, & Domini familias: Cum interim filijs familias grandioribus à fodiendo vel arando rure domum revertentibus altera cœna amplior parabatur, quibus nimirum grandiores ollæ pultibus plenæ, (quibus Romani trecentis annis victitarunt) in culina & foco fervebant, & fumabant. Nostro verò tempore hic ager, qui antea totam familiam poscebat, nostro horto voluptatis causa comparato non sufficit. Nimirum inde ab avaritiâ ferè omnium scelerum causæ resultant; Neq; ullum humanæ mentis vitium plura venena miscuit, plura homicidia & latrocinia exercuit, aut ferro sæpius grassatum est, quam immanis illa & læva cupiditas inexplebilis census & divitiarum. Nam quicunq; dives vult fieri, ille subito & unâ vice vult dives fieri. Cum verò nulla ratione compendiosius ad opes perveniatur, quàm per ingentia scelera, veneficia, parricidia, perjuria, nihil mirum ob avaritiam tot passim scelera perpetrari. Avaritia enim omnia jura violat, nullas leges curat, quæ dum ad opes & numos contendit, non Deum metuit, non homines veretur, & dummodo divitias adquirat, nihil pensi habet. Verum longè aliter prisci vivebant. Nam rustici illi Italiæ

populi, ut Marsi Albæ finitimi, Hernici Lavinio vicini, Vestini Sabinis & Marsis contermini talibus verbis filios suos solebant compellare: O pueri! vivite contenti domunculis illis & parvis agellis, quos moriens vobis relinquam. Quæramus nobis victum labore rustico & aratro, qui in mensam nobis sufficiat. Quod vitæ genus sanctissima illa ruris numina laudant, quorum numinum ductu & auspicio postquam far frumentum & panem invenimus, incepimus fastidire fructus illos arborum, glandes, fraga, &c. Certè qui paucis contentus est, & mediocria mavult, quàm nimia, & quem non pudet rustico calceo & perone contra nives imbres & glaciem armari, qui pellibus inversis lanam interiùs habentibus se vestit adversus inclementiam frigoris, & frigidum illum ventum Eurum à se summovet. Nimirum luxuria & superbia in purpureis peregrinis, & nobis Romanis antea ignotis vestibus, quæcunq; etjam tandem illæ vestes sint, nos ad omne nefas, scelus & flagitium ducit, & impellit. Hæc & consimilia vitæ humanæ præcepta seniores illi prisci filijs suis solebant inculcare. Iam vero nostro tempore etjam sub auctumni finem & hiemis initium, cum frigus intensum est pater quispiam clamosus & difficilis filium suum & mediâ nocte sapinè dormientem excitat, & hisce verbis compellat. Surge fili, accipe ceratas tabulas, scribe aliquid, vigila, disce jura, & causas age, & perlege majorum leges rubricâ scriptas, vel libello aliquo conscripto centurionatum tibi pete, quo vitem pro insigni geras. Sed ita te gere, ut Imperator

tor Lælius à quo scribendus es, in te adnotet neglectum corporis, caput tuum nullo pectine adornatum, grandiores in naribus pilos, & validiores axillas & scapulas. Milita, & Maurorum mapalia humilesq; casulas, & Britannorum castella diripe & prosterne, ut anno ætatis sexagesimo signifer fias, stipendijs emeritus. Quod si longos militiæ labores perferre piget, & latui cornuaq; in conflictu inflata tibi timore trepidanti ventrem solvant, & anxietatem incutiunt, applica animum tuum ad mercaturam, tibiq; aliquid compara; quod rursus dimidio pluris vendere, & distrahere possis. Neq; nauseas, quod forte fætidæ merces tibi distrahendæ sint, quæ ob fætorem ultra Tybrim sint ablegandæ: Nullum etjam discrimen ponas inter unguenda quæ jucundissime fragrant, & corium quod fædissimè olet. Nam lucri odor ex re qualibet bonus & gratus est. Nimirum illa sententia Poëtæ, quæ ob singularem utilitatem Dijs immortalibus & Ipso Iove digna est, semper tibi in animo & ore versetur:

Vnde habeas quærat nemo, sed oportet habere.

& alterum illud: Mea nihil refert, dum potiar modo. Hæc & consimilia inculcant deliræ vetulæ suis pueris, cum adhuc parvi admodum sunt, & assem ad nuculas vel placentas emendas sibi petunt; & hæc discunt omnes pueri & puellæ antequam alpha & beta linguarum elementa & literas discant. Verum hujusmodi parentes, qui talibus admonitionibus avaritiæ & sordium filios, suos urgent, ijsq; instant, sic compellare verbis sequentibus possem:

Hominum vaniſſime! Dic mihi, quod opus eſt te tantopere feſtinare, ut filium tuum ante tempus avarum reddas? Ego vero præſto & exhibeo tibi filium tuum te patre, diſcipulum tuum te magiſtro meliorem. Tu vero ſine curâ eſto, & deſiſte tantum ab inſtitutione filij tui. Nam ut Ajax patrem ſuum Telamonem, & Achilles parentum ſuum Pelea virtute & fortitudine ſuperavit, ita etjam filius tuus te ſuperabit avaritiâ. Parcendum eſt teneris illis puerorum mentibus. Satis maturè mala addiſcent. Nimirum interiora pravæ naturæ ſemina, & nequitiæ mala, quæ ipſis innata eſt, nondum medullas inpleverunt, nondum ſeſe hâc ætate exſerüerunt. Ceterum ubi maturiori ætate fuerit, & barbam ſuam pectere cæperit, & ad eam abradendam longi cultri novaculæ mucronem admittere, tum ſponte illud ſuâ faciet, ad quod ipſum jam exſtimulas. Ibi erit falſus teſtis, ibi vel exiguâ pecuniæ ſummâ loco præmij datâ, perjurus erit, & juramentum etjam loco ſanctiſſimo præſtare non dubitabit, Cereris aram & pedem inter jurandum tangens. Adeoq; certiſſimè ſtatue nurum tuam filij tui conjugem jam tanquam mortuam ad ſepulturam elatam. Nempe filius tuus ſuam conjugem interimet, utiq; ſi dotem ampliorem filio tuo attulerit, quæ ipſi mortem adferet. Hei mihi! quàm venenatis & cicutâ infectis digitis illa nocturno tempore dum dormit, in muliebri membro tangetur & premetur, quo ipſo artificioſè eam è medio tollet! Nam, quod tu parens ſperaſti illum negotiationibus terra & mari, multorumq; annorum ſpatio

ipſum

tardè acquisiturum, illa filius tuus breviori compendiosiori via sibi conferet, nempe homicidio aut veneficio. Nam in scelere perpetrando, per quod divitiæ adquiruntur, non magna difficultas est. Verum dices: Ego nunquam ipsi suasi & imperavi, ut perjurus. fulsus testis & veneficus esset. Mi homo, licet expresse non suaseris, tamen horum omnium filio tuo auctor es, & causa atq; origo malæ mentis penes te est. Tu enim commendâsti ipsi amorem magnarum divitiarum & opum, illumq; perversa & pravâ admonitione paullatim avarum reddidisti, ipsiq; libertatem dedisti per dolos, fraudes, malas merces & artes facultates multiplicare. Atq; ita idem fecisti, quod aurigæ, qui equis cum curriculo currentibus frena & habenas laxavit, jamq; currum velocissimè currentem, ut vel maximè inhibere velit, non potest, qua non potes in tanto impetu resistere, teq; aurigâ contemto cum impetu rapitur, & metas & terminos à te sibi præscriptos transiliet & post se relinquet. Nemo enim satis esse credit, tantum solummodo delinquere, quantum tu ipsi permisisti. Existimat enim sese nimis angustis terminis à te includi. Usq; adeo omnes homines semper plus peccare gaudent, sibiq; inter peccandum latius ipsi indulgent. Cum enim filio tuo dicis stultum illum esse, qui amico tenuiori aliquid donet, qui proximi sui paupertatem levet, & humo quasi tollat: Illis verbis filium tuum doces propinquos & proximos suos spoliare, eos per dolos & fraudes circumscribere, & omni scelere & flagitio divitias acquirere, quas tu tantum amas,

quantum Decij, pater & filius, qui pro patriâ suâ sese devovendo, mortui sunt, patriam amarunt, quantumq; Menœceus Creontis filius patriam suam Thebas amavit, quas ab Argivis obsessas ex Oraculo ultimus ex Cadmi familia sese interimens, liberavit, si modo Græcorum fabulæ talia perhibentes veræ sunt. Quæ Thebæ cum omnium primo conderentur, Cadmus Conditor Martis Dracone interemto dentes ejus excussos seminavit, ex quibus integræ legiones, armati milites cum clypeis & armis enati sunt, & statim horrida bella inter se capesserunt, non aliter tanquam tubicen quisquam, qui illos ad bellum incitaret, continuo cum ipsis surrexisset, & ita per mutua vulnera statim concide-runt. Quemadmodum igitur si quisquam ignem excitet, illum jam exsuscitatum, longè & late flagrantem, & cuncta rapientem & absumentem amplius non potest restinguere: Ita neq; divitiarum amorem, quem initio in pueris excitasti, (cum semina & scintillas avaritiæ filio tuo subdidisti) jam inflammatum, inexplebili desiderio opum latissimè flagrantem, & cuncta ad se rapientem videbis, Qui filius mox ne tibi quidem patri misero parcet. Nam quemadmodum nuper leo quispiam alumnus magistrum suum metu mortis trepidum magno fremitu abreptum in caveâ, quâ includitur, è medio sustulit & interemit: Sic etjam filius tuus abs te altus & educatus avaritiâ, quam ex te didicit, instar leonis truculentus te etjam quandoq; è medio tollet. Sanè vitæ tuæ duratio, ex horâ nativitatis vel genesi Mathematicis, notissima est, qui longam vi-

tam

tam tibi pollicentur. Verum filio tuo grave & molestum est vitæ tuæ periodum tardè ad finem pergentem, & tam diu exspectare donec naturali morte à Mathematicis tibi prædictâ, & à parcis in colo & fuso tibi præscriptâ, exspectare. Tu verò morieris filo vitæ tuæ nondum naturaliter à Parcis abrupto. Quippe tu jamdudum filio tuo gravis & molestus es, ejusq; vota & desideria de bonis tuis per mortem tuam hæreditate adeundis, tu retardas & moraris. Filio tuo longæva tua vita & senectus nimis longæva apparet, qualis est cervorum, qui ad nongentos annos vivere dicuntur. Quod si unum annum adhuc vivere, & vel in auctumno novas uvas decerpere, vel proximo vere rosas & flores tractare vis necesse est ut Archigenem medicum adeas, & illud Antidoton adversus venena pares, quod Mithridates Ponti Rex usurpare solitus est. Nimirum tale medicamentum in promtu habendum est, quod ante cibum absorbeat æque pater quispiam avarum filium habens, atq; Rex Mithridates. Certè, si quis avarorum miseriam intueatur, ille tali voluptate adficitur, cum quâ nulla spectacula theatralia, nullos ludos Scenicos quos exhibet Prætor ille lautus & supinus, comparare & conferre possis; Si nimirum aliquanto penitiùs inspicias & consideres, quantis ærumnis, doloribus, & vitæ periculis comparentur divitiarum illa augmenta, ille ingens pecuniarum saccus & loculus in ferrata arca reponendus & custodiendus, & nummi illi, qui in templo Castoris re-

reponantur, ibiq; noctis tempore ab excubijs & vigilibus custodiantur, Postquam Mars ultor in foro, ubi antea in arcis ferratis divitiæ custodiebantur, etjam per fures galeam de capite perdidit, & res suas, suaq; arma in corpore non potuit servare, nedũ ut prohiberet fures, ne arcas alienas furto expilarent. Potes igitur omnes ludos Floræ licet jucundißimos, & summa vulgi licentia celebratos, & ludos Cereales, quibus equorum cursus in circo celebratur, & ludos Megalenses in honorem Magnæ Deum matris Cybeles, in quibus aulæa extenduntur, relinquere & contemnere, præ jucundissimo illo & ridiculo spectaculo, laboribus, & mercimonijs avarorum, quæ longè dulciores ludos & jocos intuentibus exhibent. Quid enim? Potestne esse ullum spectaculum jucundius, & anne magis spectatores oblectant gesticulatores illi, qui sese circum hastas volvunt, vel rotarum pulsu per aëra jactantur, vel funambuli, qui per rectum funem solent descendere; quam negotiator quidam avarus, qui semper in navi Corycum ad crocum asportandum, petente commoratur & habitat, homo stultißimus & perditus, & vilis mercator sacci & mercium fætidarum & malè olentium, assiduè à Coro, Austro, & alijs turbulentis ventis in mari jactandus, qui gaudet ex antiquißimâ insula Creta vinum meracißimum ex pinguibus uvis passis expressum, & lagenas vini in eodem municipio, ubi Iupiter Cretensis, natus Romam advehere? Interim funambulus qui incertis & dubijs pedum vestigijs super chordam incedit, ille mercede illâ, quam à spectatoribus recipit, sibi victum

victum & vitæ necessaria comparat, sibiq; de victu & amictu prospicit, & reste illâ super quâ incedit, famem & frigus brumale declinat & evitat. Tu verò longè stolidior, qui non propter necessaria, sed supervacua, propter mille talenta, quibus nunquam perfrueris, propter centum villas, cum una tibi sufficeret, maxima temeritate vitæ periculis in mari te objectas. Interim tamen hoc avari illi mercatores agunt. Aspice enim stationes navium, & universum magnum mare, quod jam magnis navibus plenum est, quæ congregatæ eò penetrabunt, quocunq; lucri spes illas vocaverit: nec sola Carpathium mare ultra Rhodum, Cretam, Cyprum, vel mare Getulicum & Libycum, transilient, sed Columnas Herculis Calpen & Abylam longe post se relinquent, & in Gaditano Herculeo Oceano solem dum occidit sese immergentem, & ut si ferrum candens aquæ immergatur stridentem audient, & ad insulas fortunatas usq; penetrabunt. Nimirum censent avari nostri mercatores maximum commodum & grande operæ pretium se consecutos, cum pleno & distento pecuniarum folle, & pelliculâ marsupij numis tumida ex dissitis illis locis domũ redire possunt, & viderunt in Oceano Atlantico marina illa monstra balænas, & grandia cete, juvenesq; marinos Tritones & Nereides. Certè cum varijs insaniæ generibus homines vexentur, avari omnium maximè insani sunt. Nam non unus & simplex furor homines de mente & sanitate rationis deturbat. Orestes Agamemnonis filius, occisa matre Clytemnæstrâ furore actus à sorore

Electrâ custodiebatur, ubi arbitrabatur sese videre furias, quæ face & flammis sese infectarentur. Alter Telamonis filius Ajax in judicio armorum Achillis ab Vlysse superatus, doloris impatientiâ furiosus evasit, inq; boves & porcos flagris sæviens, arbitratur sese Agamemnonem, aut etiam Vlyssem Ithacum percutere, cumq; bovem præ dolore mugientem audiret, hostes præ doloris impatientiâ vociferari arbitrabatur. Quamvis autem avari, non ut alij furiosi, vestes suas lacerent, & lacernas suas discerpant, tamen furiosi sunt, curatore & custode indigi, quando naves usq; ad summitatem supremi lateris mercibus implent, & una tabula & quatuor digitis abundâ & morte distinguuntur. Cum horum tot malorum, laborum & periculorũ vanissima causa sit, nimirum argentum & numuli, quibus tituli & imagines principum & imperatorũ insculptæ & inciſæ sunt. Hujus enim pecuniæ causâ, cujus usum prorsus ignorat, etiam præsentissima mortis pericula contemnit, seq; consolatur. Sæpe enim cum è portu volunt solvere nubes & fulgura occurrunt. Nihilominus mercator avarus, Dominus mercium, frumenti & piperis, quæ navibus vehuntur, nautas illã periculi magnitudinẽ extimescentes compellat: Solvite retinacula illa navium, ut navigemus: hic pluviosus & tempestuosus cæli color, & nigra illa nubes fasciæ instar cælum cingẽs nihil periculi nobis interminatur, Cœlum tantum naturaliter tonat, ut consuevit tempore æstivo cum summus calor est. Interim infelix iste mercator, ipsâ forte nocte sequenti naufragus in mare cadit, & navi fractâ

maris

maris fluctibus obruetur, & cum naufragus ad terram enatabit, Zonam in qua pecuniam gestat, lævâ manu, vel etiam ore tenebit, & dextrâ manu natabit. Atq; ita, cujus avari inexplebili voto & cupiditati, paullo ante ne universum quidem aurum quod in aurifero flumine Lusitaniæ Tago, & Pactolo Lydiæ fluvio unà cum rutilâ & fulvâ arenâ devolvitur, & ne totius quidem mundi divitiæ satis erant; illi jam naufrago sufficient viles panni, quibus inguina sua, aquâ marinâ frigida, uda & nuda abscondat, acquiescit etiam exiguo cibo, dum navi fractâ, naufragium suum depingi curabit, ut hac miserabili naufragij picturâ sese mendicando sustentare, & intuentes ad misericordiam permovere, ab ijsdemq; assem petere possit. Atq; ita opes magnis quidem laboribus & periculis acquiruntur, sed longè majori adhuc cura & metu conservantur. Custodia enim magnarum divitiarum est miserrima & arumnarum plenissima. Licinus Claudij libertus undiq; hamos ferreos domi suæ circa thesauros suos disposuit ad fures capiendos: nihilo minus tamen multitudinem servorum suorum circum thesauros suos noctu vigilare jubet, anxius & sollicitus pro vasis & poculis suis ex Electro, pro signis & statuis suis ex auro argentoq; conflatis, pro marmoreis Phrygijs columnis, ne incendio absumantur, pro mensarum pedibus eburneis, pro fulcris & lectulis latis testudinum putaminib. exornatis. Adeo anxij & pavidi divites sunt propter incredibilia, quæ pauperes nihil prorsus metuunt. Certè Diogenes Cynicus nudus & pauper, & tamen omnium ditissimus

dolium

dolium ex tenaci terrâ confictum inhabitabat, cujus incendium non opus habebat formidare. Si illam quispiam fregisset, eras aliam habitationem sibi fieri curâsset, aut idem prius dolium plumbo ferruminatum & commissum sibi retinuisset. In hoc dolio vir maximus & admirandus beatissimè vixit. Atq; adeo Magnus ille Alexander cum Athenas veniens, Diogenem adijsset, ex ejus vitâ & sermone incredibilem animi magnitudinem, & rerum mundanarum contemtum animadvertasset, sensit tandem cum in illo dolio magnum illum inhabitatorem, maximum animo, animiq; divitijs, quanto felicior & beatior hic Diogenes Cynicus esset, qui nihil prorsus cuperet; quam ipse Alexander Magnus, qui totius orbis imperiũ sibi poscret: qui cũ magno esset, res etjam maximas gereret, illis etjam magnis rebus æquanda & respondentia pericula expertus passusq; fuit, in ipso juvenilis ætatis flore veneno à Cassandro exstinctus. Nimirum quisquis prudens est, ille omnia habet, & à nullo Deorum, quantumvis in exiguâ re constitutus sit, destituitur. Verum nos stulti Fortunam loco Deæ colimus, ejusq; bona & fortunas appetimus. Interim si quis scire cupiat, meq; consulat, quæ opum mensura, quisve divitiarum modus homini sufficiat; edam atq; exponam illud. Nimirum tantum, quantum ad frigus ad'sitim & famem profligandam, hoc est, ad victum & amictum sufficit: Quantum Epicureo satis fuit, qui parvis hortulis contentus frugali admodum cibo & oleribus victitabat: Quantumq; domus Socratis ante Epicurum capiebat, qui

qui non plura posſidere voluit, quàm ipſa natura efflagitabat. Nam non aliter dictitat Sapientia, aliter natura, Philoſophia enim ex naturâ deſumta eſt, quæ optima vivendi dux eſt. Verum quia videor tibi, quod te nimis acrib. nimis anguſtis exemplis Philoſophorum Socratis & Epicuri velim claudere & quaſi anguſtare: Quare age miſce aliquid horum Philoſophorum frugalitati de noſtris moribus, & cupiditate noſtrorum temporum: Compara tibi illam ſummam, quadringentorum HS, quam ex lege Othonis equites Romani, qui in 14. gradibus Amphitheatri poſt ſeptem Senatorum gradus ſedent, posſidere tenentur. Quod ſi hæc etiam ſumma minor tibi videtur, & ex indignatione frontem in rugas contrahis, tuaq; labra pendula, teq; indignabundum & triſtem reddit: age indulgeo tibi cenſum octingenties Seſtertium, cenſum duorum equitum. Imo compara tibi cenſum trium equitum, & ter quadringenties Seſtertium. Quod ſi inexplebilem tuæ cupiditatis gremium nondum implevi, ſi ille plurium deſiderio adhuc hiat & panditur, tum in infinitum ſeſe avaritia tua extendet, tuoq; animo neq; Cræſi regis Lydorum ditiſſimi fortuna, neq; ditiſſimorum Perſarum regum Darij, Xerxis, & aliorum ditiſſima regna, Imò ne Narciſſi quidem Claudij Cæſaris liberti opulentiſſimi divitiæ animo tuo avidiſſimo ſufficient. Cui Narciſſo Claudius Cæſar, apud quem omnia potuit, omnia conceſſit & indulſit; Cujus etiam imperio morem geſſit Cæſar, cum juberetur adulteram uxorem Meſſalinam, quæ

Claudio

Claudio marito absente Cajo Silio nupserat, occidere. Nisi enim Narcissus ejus mortem properassat; Imperator ipsi pepercisset.

In Satyram XV.

ECPHRASIS.

QVis adeo novus hospes est in Religionibus moribusq; gentium, ut ignoret, Volusi Bithynice, qualia monstra & portenta animalium serpentium, ferarum demens illa & insana Ægyptus numinum loco veneretur & colat? Nimirum una pars illius regionis colit & adorat Dei loco animal illud quadrupes terrestre & aquatile Crocodilum, altera pars Ibin avem ciconiæ non absimilem serpentes ad satietatem usq; devorantem & depascentem, cum pavore tanquam numen veneratur. In veteri urbe Ægypti Thebarum, quæ à Cambyse diruta cum centum suis portis obruta jacet, ubiq; dimidia Memnonis statua est, quæ certis diei horis chordis citharæ vel alterius instrumenti Musici resonat, idq; Magicâ arte, cum nihil tale intus vel extra cernatur: ibi aurea caudatæ simiæ imago nitet, & loco numinis sacri colitur. In altera parte pisces maris, in altera piscem fluminis venerantur. Vniversæ etiam

etjam urbes Canem Anubidem & Osiridem Isidis maritum colant; nemo vero invenitur, qui venatricem Deam Dianam canibus præfectam ullo honore adficiat Imò vero apud plerosq; impium & nefandum habetur porrum & cæpe violare, aut devorare. O Sanctas Aegypti gentes, apud quos etjam in hortis numina hæc nascuntur! In cænis & convivijs suis religiosè ab ovibus abstinent; pro nefario scelere habetur, si quis hædulum ad futurum convivium vel cænam jugulet. Interim carnibus humanis apud illos vesci licet. Quale facinus Polyphemi humanis carnibus vescentis, cum Ulysses apud Homerum Iliados nono Alcinoo Phæacum regi propter sceleris enormitatem attonito narraret, ibi merito in convivio apud Phæaces quibusdam iram & indignationem, tanquam qui absurdis fabulis alijs ludificari vellet, quibusdam etjam fortasse risum, ut qui velut risus captator & Aretalogus absurdis mendacijs placere studeat, moverit & excitarit. Nempe Phæacum quisquam non immeritò indignationis plenus in hæc verba potuisset prorumpere: Quid vanissimus ille nebulo de suis laboribus & naufragijs nobis memorat? Merito ille in mare abijciendus est, dignus non fictâ & fabulosa, sed sevâ & verâ Charibdi, ut qui immanes Læstrygones & Cyclopas carnibus humanis vescentes absurdissimè singit & mentitur. Ego autem longè citius crediderim monstra illa marina Scyllam & Charibdin, quæ memorat, & scopulos insulæ

Cyan-

Cyanees sub Thracico Bosporo, inter se concurrentes, & utres ventis & tempestatibus plenos, quos ab Æolo Vlyssem accepisse mentitur, Et quod de Vlyssis socijs Elpenore & reliquis mentitur, illos tenuis virgæ magicæ verbere à Circe percussos, & cum reliquis socijs suis in porcos transmutatis grunnijsse; Hæc, inquam, licet absurdissima longè citius crediderim; quàm hominem humanis carnibus potuisse vesci. Vsq; adeone stolidos & vacuos cerebri ille nebulo nos Phæacas esse arbitratur, quibus sese talia persuasurum sperat? Nimirum his & similib merito Phæacum quisquis n, qui sese nondum inebriasset, & nondum multum vini ex urnâ vini Corcyrei plenâ eduxisset (cum ebrij facile absurda sibi persuaderi patiantur) cum indignatione & stomacho contra Vlyssem insurgere potuisset. Quippe Vlysses unus & solus hæc, sub nullo alio teste, ut qui solus è naufragio evaserat, Phæacibus recitabat. Ego vero Iuvenalis miranda quidem & vix credenda, sed vera referam, ut quæ nuper Consule Vinco ultra civitatem Coptum, quæ Ægyptijs & Arabibus communis est, gesta sunt. Neq; unius hominis scelus, ut Atrei, Procnes, Polyphemi, sed totius cujusdam populi facinus recitabo, quod omnia Tragica facinora suâ atrocitate superat. Nam si etjam inde à Pyrrhæ sæculo omnes materias & vestes Tragicas excutias, nunquam invenias scelus nliquod Tragædiâ dignum ab integro aliquo populo designari. Accipe verò & cognosce, quam dirum & atrox sceleris exemplum dira Tragica totius populi feritas & immanitas nostro ævo produxerit. Inter

duas

duas finitimas Ægypti urbes Combos & Tentyra durat adhuc vetus illa & antiqua simultas, & odium illud immortale semperq; duraturum, & vulnus nunquam sanabile. Simultas autem illa inde utriq; populo exorta est, quod diversam religionem colunt, & vicinorum suorum numina oderunt, & contemnunt: Quando uterq; populus illos solos Deos veros & colendos esse credit, quos ipse colit & veneratur. Verum cum Combi diem festum suo Deo Crocodilo instituissent, ibi die festo alterius populi cunctis Tentiritis inimicorum principibus & ductibus occasio inimicos invadendi & occupandi rapienda visa est, idq; potissimum ex invidiâ & ex odio fecerunt, ne scilicet hostes Combi diem festum lætum & hilarem transigerent, & delitias atq; voluptates magnæ cœnæ in commune collatæ sentirent, mensis ad templa Dei sui Crocodili & ad compita positis & collocatis, & lecto discubitorio herbis constructo perpetuis vigilijs celebrato, quem per integros septem dies & noctes jacentem sol postquam exortus est septimo die invenit. Et fera quidem atq; inculta est Ægyptus, quantum ego Iuvenalis ipse, qui horum omnium oculatus testis sum notavi, verum quamvis adeo barbara sit; luxuriâ & delitijs non minus lascivit quam Canopus ille famosus Ægypti portus. His adde, quod Tentiritis de hostibus suis incolis Comborum madidis, & sermone blæsis, & propter nimium vinum titubantibus facilis victoria futura videbatur. Ab unâ parte Copti incolis, qui festum celebrabant, viri saltabant ad cantum tibiæ alicujus Æthiopis & nigri tibicinis, un-

guenta quibus delibuti, erant qualiacunq; multis è floribus sertis in fronte coronati erant. Ab altera Tentyritarum parte erat infesta sobrietas, & odium à fame & jejunio exstimulatum. Principio ob contemtum Deorum utriusq; populi animis odio utriusq; flagrantibus inter sese jurgia concitare & rixari incipiunt, Hæc jurgia instar cujusdam incitamenti erant ad futuram rixam. Post jurgia autem pari vociferatione & infesto hostiliq; animo inter sese concurrunt, & loco teli vel gladijs nudis manibus & pugnis inter se sæviunt, malas & facies hostium infestis magnibus invadunt, ut paucæ sine vulneribus relinquerentur. In totâ multitudine certantium vix cuiquam nasus integer aut non aliquâ parte imminutus remanebat. Nimirum videres per cuncta utriusq; partis pugnantis agmina facies dimidiatas, naribus & auribus violenter avulsis, & ex cruore, tumore, & vulneribus ita immutatas ut aliæ apparerent; videres ossa faciei aperta & hiantia, cum genæ ruptæ & perforatæ essent, & pugnos oculorum quos sibi invicem eruebant, sanguine plenos. Interim licet tam immaniter inter sese sævirent, ipsi credunt sese ludere, & cum manibus adhuc res agatur pueriles acies exercere, & quod nemo morti vel neci datus esset, neq; ulla cadavera mortuorum pedibus calcarent. Et sanè quorsum attinet tot millia hominum inter se rixari & pugnare, si nemo interficitur, & omnes vivunt adhuc? Quocirca acrior impetus pugnæ utrinq; instituitur, jamq; se ad terram incurvantes saxa & lapides quærunt, suisq;

suisq; lacertis elevata in hostes ex adverso torquere incipiunt, qualia saxorum tela in seditione, quâ faces & saxa volant, familiaria & domestica esse consueverunt. Neq; verò tam magna saxa torquent, qualia Turnus apud Virgilium, & Ajax apud Homerum in hostes proïciunt, aut quali saxo Tydei filius Diomedes apud Homerum in Monarchiâ Æneam ad terram prostravit. Sed quales lapides dissimilia brachia validissimis illis antiquis heroibus, homines nostrâ ætate viventes tollere & emittere possint. Nam genus & robur humanum, atq; statura hominis jam tum vivo Homero incipiebat decrescere, qui ait Diomedem tale pondus sustuliſſe, quod suâ ætate vix bis septem juvenes tellure moverent. Nostra verò longè posteriori ætate terra & malos, & pusillos homines educat. Vnde Dij, quicunq; hosce homines inter sese contendentes aspicunt illos tanquam pusillos rident, & tanquam malos odêrunt. A digressiunculâ ad historiam hanc revertar, eamq; pertexam. Postquam aliorum auxilio ab utrâq; parte & Tentyritæ, & Comborum incolæ auctæ essent; ibi Tentyritæ gladios educere incipiunt, & infestis sagittis & arcubus pugnam reparare. Ibi cum inermes hostes Comborum incolæ sacra sua desererent, & fugientes Tentyritis tergum obverterent, illi qui Tentyra urbem vicinam umbrosæ palmæ incolunt hostibus suis fugientibus instant, eosdemq; persequuntur. Interea ex Comborum incolis quispiam, dum formidine gladiorum & sagittarum effusè nimis properat & præceps fugit, labitur, & ab insequentibus

hostibus capitur. Illum vero Tentyritæ victores gladijs minutatim in plurima frustra & particulas crudeliter dissectum totum & integrum ne minimâ quidem particulâ relictâ, devorarunt, etjam ossibus more canum arrosis, idq; crudum & recentem. Neq; enim illum cacabo, aut lebete bullienti decoxerunt, aut verubus infixum cadaver ejus assarunt. Nam longum & tardum nimis ipsis visum esset, focos, quibus cadaver decoquerent, exspectare, sed cadavere crudo contenti fuêre. In quo facinore imprimis gaudendum est quod hominem crudum devorarunt, & ignem non violaverint. Quem Prometheus è summâ cœli regione furtim allatum terris donavit & restituit. Ego certè ignis elemento gratulor, quod violatus non sit, teq; ô Volusi, eo nomine mecum exsultare credo. Verum tu forte exsultas, quod ignis violatus non sit; verum Aegyptius ille, qui cadaver devorare ausus fuit, ex esu humanæ carnis summam voluptatẽ cæpit, illaq; carne nihil unquã libentius comedit. Nisi n. summam voluptatẽ gula, quæ primo carnẽ hominis edere sustinuit, inde concepisset, certè tantum & tã atrox facinus nunquã designâsset. Vltimus autem Tentyritarum, qui tardius advenerat toto cadavere absumto, ille cum famem sedare amplius non posset, sitijt humanum cruorem, & digitis per terram ductis aliquid de sanguine effuso gustavit. Et hæc adeo atrocitas & enormitas sceleris tanta est, ut in nullâ historiâ consimilis videatur. Vascones citerioris Hispaniæ populi, cum in urbe suâ Sagunto ab Metello obsessi essent extremâ fame compulsi alimento carnis humanæ

humanæ usi, non sævitiam aut gulæ voluptatem expleverunt, sed vitam suam produxerunt. Verum hoc exemplum prorsus diversum est. Nam inclementia fortunæ, & extremi bellorum casus, quibus ad humanas carnes comedendas adiguntur, & longæ obsidionis dira egestas, & atra inedia & fames ad tantam calamitatem eos impulit. Hujus autem cibi exemplum de quo in hac historiâ Vasconum agitur, miseratione dignum est. Hæc enim Vasconum gens postquam omnes herbas, cuncta animalia etiam impura, & quicquid deniq; rabiosa vacui ventris fames devorare cogebat, universum absumsisset, adeo ut etiam ipsi hostes obsidentes ipsorum Saguntinorum pallorem, maciem, & fame atq; inediâ absumtos artus & membra miserarentur: Ibi demum fame instigante aliorum hominum à se interemtorum cadavera devorabant, Quin etiam promti erant sua propria membra comedere. Quis autem vel hominum vel Deorum adeo sit immisericors, qui talibus urbibus, quæ tam dira & immania obsidionis tempore perpessæ sint, idq; propter animi fortitudinem & constantiam, veniam dare nolit? Quin quibus etiam ipsorum manes umbræ, atq; animæ meritò poterant ignoscere, quorum cadavera famelici Vascones comedebant. Verum objiciat quisquam, quod tamen præcepta Zenonis Philosophi nos longè meliora moneant, quæ putent non omnia, sed quædam tantum pro vitâ retinenda facienda esse. Ceterum satius esse mori, quam hominis carne vesci. Atqui unde hanc sapientiam hauriret Vasco vel Cantaber, ut ex Stoicorum præscripto

viveret? Præsertim ætate prisci illius Metelli qui Saguntum obsederat. Nostrá verò ætate universus mundus Græcas & Romanas literas & disciplinas tenet. Gallia facunda docuit vicinos Britannos causſas agere, & Oratoriam exercere. Imò verò ultima Britanniæ regio Thule deliberat jam de adhibẽdo negotijs suis oratore. Interim ille Vasconum populus, quem dixi nobilis est; & illi populo vicina civitas Saguntbus virtute & fide par est, sed clade major & calamitosior, utpote quæ eandem calamitatem perpessa, tandem funditus ab Annibale deleta est. Verum Ægyptiorum scelus quis tandem excusare possis? Certe Ægyptus sævior & truculentior est, quàm Diane Taurica in Mœotide palude. Quippe Diana illa Taurica infandi illius sacrificij inventrix homines tantum immolat, non autem devorat, (ut concedamus vera illa esse, quæ Poëtæ fabulantur) & hospes vel advena in Tauricâ hostia futurus, nihil gravius habet, quod reformidet, quàm cultrum, quo immoletur. Nulla autem bellorum calamitas & casus hos Ægyptios impulit, nulla fames, nulla arma hostilia obsidione vel vallo cingentes illos impulêrunt tam detestabile monstrum audere, & hominem devorare. Certè si Nilus terram Aegyptiam siccam & arentem inundare nollet, eiq; fertilitatem invideret, hoc tanto scelere satis causſæ haberet. Atq; adeo imbelle & inutile Ægyptiorum vulgus, quod parvis fictilibus naviculis in Nilo navigare solet, & parvam testaceam naviculam depictam brevibus remis impellere, hæc immani rabie & truculentiâ in homi-

nis

nis occisi cadaver sævijt, quâ nec terribiles illi Romano impe. io Cymbri, nec populi majoris Britanniæ Britones, nec truculenti illi Sarmatæ, nec immanes illi Scythiæ populi Agathyrsi unquam in quemquam sævierunt. Quid? quod pœna sceleri tanto debita, & supplicio illo condigna inveniri & parari huic populo non potsit, in quorum mente pares & similes res sunt iræ & james: utpote qui hoc per iram fecerunt, quod Vascones per famem & inediam. Sane natura humana cum homini lacrumas concesserit, eo ipso fatetur se pectora & corda mitissima & misericordia homini dedisse, hominemq; ad misericordiam & condolentiam natum esse. Atq; adeo hæc misericordia nostri animi est pars longe optima: quæ jubet causam miserabilem lugentis amici flere & miserari, quæ deplorat squallorem & miserandum habitum alicujus rei jam jam occidendi; quæ miseratur orbum parentibus pupillum, dum tutorem suum, à quo misere circumscriptus est, in jus vocat; cujus pupilli genæ, quando lacrumis manant & quasi fluunt, ob capillos puellares, quos tristes & squalidi dimittunt, incertæ redduntur, ut dubites pueri, an puellæ sint. Natura etjam imperante gemitum edimus cum funus cujusdam virginis viro jam maturæ occurrit, cũ infans sepelitur, qui minor est, quàm ut cõburatur. Quis n. vir bonus est, & ob virtutẽ dignus, qui arcanis Cereris sacris & faci (qualẽ Cereris sacerdos suum maritũ, vel quẽvis alium hominẽ esse requirit) adhibeatur; qui arbitretur mala illa, quæ alijs contigerũt aliena esse & ad se nõ pertinere, utpropterea ing. miscere nolit?

Hæc misericordia distinguit nos homines à brutis animalibus, & ob misericordiam exercendam nos homines soli rationem adepti sumus, & divinum ingenium, rerumq; divinarum capaces, & ad artes humanæ vitæ utiles exercendas & discendas apti & idonei mentem & animum à cœlesti arce in corpora nostra demissum traximus & hausimus, quâ mente & animâ rationali reliqua animalia bruta prona & terram spectantia carent. Nam communis rerum conditor Deus in principio cum mundum conderet illis brutis animalibus tantum animas, vegetativã & sensitivam dedit: verum nobis hominibus insuper dedit animum, mentem, & intellectum; ut sic mutuus charitatis & benivolentiæ adfectus, juberet ab alijs auxilium petere, & idẽ alijs vicissim præstare, juberet hominis in silvis dispersos & vagantes in unũ populum unam civitatẽ trahi & colligi, de memore & silvis à priscis & proavis inhabitatis in urbem aliquam migrare, & avia feris & brutis relinquere, domos ædificare, nostræq; domui aliud tectum conjungere, ut ita mutua fiducia propter limen vicinæ domus collata tutos à feris & hostibus somnos præbere posset; juberet aliquem vicinum concivem in bello lapsum, aut ingenti vulnere accepto titubantem, & ad terram inclinantem, armis protegere & defendere, sub uno imperatore bellum gerere, sub uno communi vexillo, tubæ concentu ad pugnam excitari, ijsdem civitatum turribus & propugnaculis defendi, & deniq; unâ clave portarum communis civitatis teneri, includi, & custodiri. Iam verò nostro

sæculo

sæculo concordia & mutuus amor ab hominibus exsulat, in brutis vero reliquus est, adeo ut longe major inter serpentes & dracones sit concordia, quàm inter homines, cognatæ feræ, similibus & ejusdem coloris & speciei animalibus solent parcere. Quis unquam vidit leonem fortiorem minori leoni vitam eripuisse? quo unquam nemore aper quispiam à dentibus validioris alicujus apri laceratus interijt, Tigris Indica aut Hircania perpetuam concordiam & pacem agit cum rabidâ & feroci alterâ Tigride, quin etjam sævis & immanibus ursis inter sese convenit. Homines verò parum adhuc & vile reputant lethale ferrum & gladios super sceleratâ incude fabricasse, Cum primi fabri proavorum nostrorum temporibus ignorarint gladios fabricare, & solummodo instrumenta rustica rastra, & crates dentatas vel sarcula coquerent, inq; procudendis marris & vomere defatigarentur. Iam verò conspiciemus populos, quorum iræ & furori non sufficit aliquem occidisse, quin insuper mortui cadaveris membra, pectora, brachia, vultus genus cibi esse crediderint, quod per sceleratas delitias devorarent. Quid ergo dicturum censes Pythagoram, & quo ipsum terrarum præ indignatione fugiturum putas, si nunc hæc flagitiorum monstra, portenta, & prodigia videret? Qui Pythagoras religione hominum ab omnibus animalibus, in quæ transmigratione hominum animas transire putabat, abstinuit tanquam ab homine, quin abstinuit etiam à fabis &

qui-

quibusdam alijs leguminibus quæ famelico suo ventri & stomacho nunquam indulgebat.

IN SATTRAM Ultimam ECPHRASIS.

QVis possit enumerare, mi Galle, commoda, utilitates, & emolumenta, quæ ex militiâ felici & fauſtâ proveniunt? Certè si quis prospera castra, & felicem militiam subire possit, quamvis adhuc novus miles, & tyro rudis adhuc & pavidus essem, vellem tamen à castrorum portâ felici eventu & prospero sidere excipi. Nam in bello plus valet benigni fati & felicis constellationis hora & opportunitas, quamsi ipsius Veneris Epistola nos commendaret bellorum Deo Marti, cujus Veneris commendatio merito multum apud amatorem Martem aliàs momenti habet: Vel si Iuno mater nos Marti filio commendaret, quæ Insulâ Samo delectatur. Age jam sigillatim militiæ præmia percenseamus, & initiò tractemus commoda illa communia, inter quæ non minimum est, quod quisquam togatus militiam non exercens etjam quâsunq; occasione oblatâ te militem verberare nõ audeat.

Imò

Imo vero si ipse à te verberetur, non te accuset, sed sese à te verberatum dissimulet, nec audeat prætori militum judici excussos dentes, & lividum tumorem in fronte maculis plumbei coloris ex ictu tumidis & inflatis, & exstantem, aut oculos verbere ita læsos, ut medicus de recuperando visu nihil promittat, ostendere, & militem accusare. Sin aliquis togatus militem velit accusare, & illam petulantiam postulet puniri, ibi judex erit miles quispiam in ipsis castris Bardiacho vel Sagulo militari vestitus, ad cujus subsellia & tribunalia grandium surarum ocreæ & calcei dependent, & perones, qui suris superinducuntur, idq; ex antiquis castrorum legibus juxta morem Camilli cum Vejentum obsideret, ne miles extra vallum, aut procul à signis litiget, sed semper in castris præsto esse possit. Quod si miles contra alium quempiam caussam habeat, ibi centuriones justissimam & æquissimam sententiam utriq; parti pronunciabunt, & miles cum sim facile adversarium ulciscí potero. At contra si togatus quempiam militem accuset, & in castra veniat, licet justissimam suæ accusationis, & quærelæ caussam habeat. Tota tamen militum cohors & manipuli contra togatum insurgunt, & unanimi consensu, toto conatu ipsum impediunt, & dicunt: Itane vero vos togati pro parvulo delicto majorem graviorem q; vindictam exigetis. Atq; ita togati dum militem accusant hoc agunt, ut vindicta ipsis damnosior sit, quàm injuria, quam tulerunt.

Unde

Vnde non immerito stultissimus judicandus sit, velut Vagellius ille Mutinensis Rhetor bardus & stolidus, qui cum duo crura tantũ habeat, tot caligatos milites sibi obstantes velit irritare, & crura effendere tot mille clavis militum tibialibus infixis. Quis à prudentiâ urbanâ tantum abest, ut tantam stultitiam admittat, & militem in castris accuset? Præterea quis togatorum tam fidelem amicum habeat, qualis Pylades Oresti fuit, qui amicum suum militem quendem accusaturum, ultra molem aggeris in castra comitari velit. Frustra certe cum lacrumis amicos sollicitamus, ut nos officij gratia in castra comitentur: qui sese ob periculi magnitudinem excusabunt. Porro si tu togatus militem accusans à judice testem jubearis producere, & ille à te productus (nescio quis, qui forte nusquam invenietur,) liquidò ipsam veritatem attestetur, & audeat dicere, Ego vidi hunc militem pugnos & verbera in togatum illum jactare: tum credam illum virum severum & gravem, & dignum, qui majorum sæculo viveret, quo barbam & capillos alebant. Longè verò facilius est falsum testem invenire contra togatum, vel militem, quàm verum aliquem testem, contra præjudicium bonorum, contraq; famam, & honestam existimationem alicujus armati militis. Notemus jam ulterius alia commoda & emolumenta illorum militum, qui supremo belli duci sacramento obligati sunt. Si quis avarus aut improbus vicinus agrum in valle positum, aut campum, quem avi mei possederunt, mihi abemerit, vel terminum limitis loco positum,

tum, sacrum, & non violandum è medio limite mihi effoderit, quem ego pulte cum libo à multis annis usitato singulis annis in sacrificium oblato, colui: aut si debitor quispiam se aliquid mihi debere negat, & mutuo acceptos numos reddere recusat, sua chirographa propriâ manu tabellæ ligneæ ceratæ inscripta nullius fidei, & falsa esse dictitans: Ibi antequam causa inchoetur annus exspectandus erit, qui universi populi lites & controversias incipiat. Sed tunc etiam, cum causæ agi incipiunt mille tædia, mille dilationes ferendæ sunt. Sæpè à ministris tanquam actio futura sit subsellia tantum sternuntur, Cum interim judices non compareant, cum facundus ille Cæditius judex æstu defatigatus lacernas & vestes deponit, & judicium abrumpit, cum Fuscus ebriosus alter judex micturiens exeat, ut vesicam exoneret, tardiusq; revertatur; ibi cum alias ad agendas causas parati essemus, digredimur, inq; arenâ fori lite lentè procedente pugnamus. Contra militibus armatis, qui balteo militari cinguntur quodcunq; tandem tempus causas agendi complacitum est, illis præstatur, quibus etiam opes & facultates non consumuntur longo tractu & quasi sufflamine litis. Præterea soli milites jus habent testamentum condendi patre adhuc vivente. Si enim Iurisconsultis placuit peculium castrense, quod à militibus militiæ labore partum est, non esse in essentiâ patrimonij, vel illarum opum, quarum arbitrium est apud patrem. Vnde fit, ut Coranum illum militem, qui peculium castrense meretur, & vexilla imperatoris sequitur, pater

jam

jam senior & ætate tremulus muneribusc captet & palpetur. Hunc Coranum verò labor militaris ad honores & opes evehit, ut retribuit sua dona & merita egregio labore. Certè videtur, hoc spectare ad dignitatem & majestatem ipsius imperatoris, ut nimirum vir fortis vel miles etjam felix sit, suaéq; fortitudinis & virtutis præmia consequatur, & insignibus muneribus eniteſcat, & equorum ornamentis & phaleris, & ac torquibus aureis lætus gaudeat & exsultet.

FINIS ECPHRASEON

IN LIBROS SATYRARVM IVVENALIS.



Errata in absentiâ Paraphrastæ, à Correctore relicta.

In Persio octernione E. v. 17. lege flagellorum. v. 25. lege exerce. E. 2. versu 1. lege pejera. v. 8. adhærentes. v. 14. seductum. v. 19. Tunc. 27. navigationem. E. 3. 13. v. aberres. 20. catenæ. 25. Menandri. 26. Chærestratus. E. 4. v 3. Æquumne. itẽ ortum. E. 5. v 4. remaneas. 16 rixanti. E. 6. v. 10. Cybeles. Item lusca, v. 16. Romanorũ non. E. 7. v. 9 lege numeris. E. 8. v. 4. Ennius. v. 23. more qui v. 25. annuli in lagenâ vapidum. E. 9. v. 4. aquâ. E. 10. v. 6. sui. v. 11. perfusas, E. 11. Audivistine. v. 9. Chlamydas. Item Coloris, & gausape, v. 11. proceros. E. 12. v. 14. Avunculus E. 14. v 3. Catastâ. v. 11. quæstiones In Iuvenale octernione 8. B. indicis loco H. pro B. H. facie primâ, v. 26. consiliarij, item, mariti. H. 4. v. 24 Augusteo. H. 5. v 10. eras. H. 6. v. 7. lege, illa, quæ. H. 16. v. 4. retiariorum & Secutorum. v. 6. retiarij. v. 24. cæci. v. 26. admisit. I. 3. v. 10. luxuria. v. 16. nobis. v 21. petulantes. I. 4. v 3. appareant, v. 12. Collatia v 13 Maura. I 6. v. 7. Simplicem l. 7. v. 10. Vaticano. v. 29. Syris. I. 8. v. 1. tenuis. v 5. cervical. l. 10. v. 17. suæ polliceri. I. 11. v. 6. dum. v. 27. Niphatem. l. 14. v. 7. Crure. v. 28. Solœcisemium. I. 15 v. 10. teterrima. v. 17. totâ. l. 16. v. penultim. pessime, &c. Q. 9. v. 27. pro Locris lege terris.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0355
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0357
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0358
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729950476/phys_0359
DFG


the scale towards document
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.
Patch Reference numbers on UTT
mm
Inch